



UC-NRLF
$B 311 168


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

TITI LIVI

AB URBE CONDITA

LIBER TRICESIMUS

AD CODICUM MANU SCRIPTORUM FIDEM

EMENDATUS

AB

C. F. S. ALSCHEFSKI.

BEROLINI.

FERD. DÜMMLER.

1839.

VIRO ILLUSTRISSIMO

IOANNI SCHULZIO

PHIL. ET THEOL. DR.
REGI BORUSS. AB INTIMIS RERUM AD INSTIT. P. PERTIN.
CONSILIIS EQUITI SPLEND.

HANC CURAM

IN LIVIO EMENDANDO POSITAM

CONSECRAVIT

C. F. S. ALSCHEFSKI.

„Res ardua vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem. — Nec dubitamus multa esse quae et nos praeterierint: homines enim sumus et occupati officiis subcisivisque temporibus ista curamus, ne quis vestrum putet his cessatum horis.“ Plin. h. n. 1, 15. 18.

Gronovianis Drakenborchianisque copiis criticis ad primam tertiamque decadem collectis atque dispositis cum ad Francisci Goelleri librum exquirere coepissem, quanta diligentia curaque docti homines versati essent in emendanda quarta Livianorum annalium decade, nec pauca mihi reperta essent, quae dubitationem aliquam vigilantiori homini afferre viderentur, num omnia quae in illa Bambergensis codicis editione ferrentur, ea qua par esset sollertia descripta essent: operae pretium fore videbatur, si ille praestantissimus liber manu scriptus ab docto quodam homine denuo inspiceretur, ut si qua forte Goellerum fugissent, ea repetita eiusdem libri lectione emendarentur. nec haec una cura erat, cur id fieri vellem. cum enim Goellerus etiam alterius cuiusdam libri manu scripti cum decade quarta in eodem volumine conglutinati mentionem faceret, alterumque hunc librum maiorem decadis tertiae partem complecti sed illo a se edito codice

longe inferiorem esse diceret: idque mihi de eo quidem quod ex libri initio exscripserat non negandum videretur, minime vero de posteriore eius parte constaret, quae quamquam librarii errore quibusdam locis corrupta, tamen multo emendatiorem atque elegantiorem, quam quae vulgo ederetur, orationem praeberet: cumque haud ignorarem, hanc ipsam decadis tertiae partem extremam non modo in Puteaneo mille annorum libro sed ne in Mediceo quidem repertam esse: nihil mihi antiquius erat quam ut ipse illos duos libros eximios videre et pervestigare cuperem, quorum integritate atque praestantia non modo abhinc ducentis annis et hoc ipso tempore tanta quartae Livianae decadi lux affulsisset, sed unde forsitan etiam tertiae aliqua medicina quaerenda et expectanda esset.

Id quod cupiebam, per summum eorum hominum venerandorum collegium, qui curam institutionis publicae a rege nostro clementissimo atque augustissimo ipsis demandatam quanta maxima sapientia administrant, facile impetravi. cum igitur optatissimum librum Bamberga Berolinum missum per otium lustrarem, id quod coniectura mihi ante percepisse videbar quodque nunc quidem omnes ex diligentissima eiusdem Bamb. codicis editione ab J. Th. Kreyssigio instituta itidem intellexisse puto, vere se ita habere cognovi: et multa a Goellero parum recte intellecta, multa adeo praetermissa esse,

et alterum illum codicem ab septimo libri vicesimi quarti capite usque ad tricesimi libri finem Livianam orationem comprehendentem non modo non parvi habendum sed etiam in optimorum decadis tertiae librorum numero referendum esse. nam quod in prima eius libri parte multa menda deprehendi possunt, hoc inde factum videtur, quod librarius litterarum antiquarum haud ita peritus, cum orationem uno ac continuo tenore scriptam perspicere atque expedire nequiret, nec ea quae coniungenda erant, semper apte coniunxit, nec quae separanda erant, scite divisit: quo longius tamen in scribendo progressus est, eo minore inscitia rem ille suam factitavit, ut in posterioribus eius libri partibus nihil admodum desiderari possit, nisi perfectum omnibusque numeris absolutum librum habere velis, cuius generis vel nulli ex illis antiquis temporibus sunt vel perpauci. nec tamen ab eodem totum librum descriptum esse librario, non tam diversum illud litteras ipsas pingendi genus, quod in una plagula extrema priore multo elegantius invenitur, nobis probat, quam quod in illo postremo libro pronomen *is* non addita littera *h* spectatur, quam praescribere illis vocibus atque etiam quae eiusdem generis esse videbantur, alter ille librarius ita assueverat, ut cum in undetricesimo tum in tricesimo libro — nam in prioribus libris hoc mendum non ita reperitur, qua re vel de tertio quo-

dam huius codicis librario suspicari liceat. — nullo paene loco incorruptum illud pronomen praetermitteret.

Ac primum quidem difficiliores eos locos, quibus Puteanei et Medicei codicum oratio ab reliquis libris discrepat, cum hoc Bambergensi conferebam, nec parvo afficiebar gaudio, cum plerumque et in mendis et in virtutibus hunc ita cum illis duobus congruere viderem, ut sicubi discrepantia quaedam reperiretur, Bambergensis aut propius ab Puteaneo abesset quam a Mediceo, aut ubi in neutro eorum verum inesset, non numquam hic unus orationem Livianam praestaret integerrimam. hoc enim vel ex eo veri simile fiebat, quod cum Bambergensis ex praestantissimo libro descriptus videretur, eius librarius ubicumque peccabat incuria quadam atque imprudentia erraverat, non consulto nec ut sua ratione scriptorem emendaret, si exceperis illud in pronominibus scribendis mendum paucaque alia quae non tam unius librarii quam aetatis vitia sunt. quo cognito ad tricesimum librum, in cuius capite vicesimo sexto Mediceus, tricesimo Puteaneus desinunt, maiore quodam studio incubui, nec quidquam repperi, quo id quod in prioribus sex libris mihi perspexisse videbar, infirmaretur. cum igitur in hoc Bambergensi codice librum tricesimum Livianum usque ad finem absolutum viderem nec pauca in hoc ipso libro me iam dudum magnopere offendissent,

quamvis de eis rebus nec a Gronovio nec a Drakenborchio quidquam annotatum explicatumve invenissem: non inutile fore arbitrabar, si ille liber de gravissimis rebus a Livio scriptus ad huius potissimum Bambergensis codicis fidem emendatus separatim a me in publicum ederetur.

Verum tamen cum singulos locos diligentius perscrutari coepissem, permagnum eorum numerum inveniebam, ubi quae ex Puteaneo et Mediceo a Io. Frid. Gronovio exscripta erant, in Bambergensi plerumque ita reperiebantur, ut alia cum illis prorsus consentirent, alia discreparent. in quo necesse erat alterutrum factum esse, ut aut Bambergensis codicis librarius eisdem locis vera cum falsis confudisset, aut Gronovius in describendis optimis libris parum diligenter versatus esset: idque alterum primo veri simile videbatur, cum in Bambergensi ea omnia, de quibus dubitandum erat, accuratissime congruerent, sed quae nihil ad rem viderentur pertinere, apud Gronovium ita reperirentur, quem ad modum vulgo edi solerent, longe aliter non numquam in Bambergensi libro: deinde res ipsa id quod suspicatus eram ita esse docuit. neque vero hoc unum de Liviana oratione me incertum faciebat, sed quod multis aliis locis id quod in Bambergensi legebam, aut scriptum non videbatur, nisi in minoris auctoritatis libris, cum nihil eius modi nec ex Puteaneo nec ex Mediceo

allatum esset; aut quod talia ne in illis quidem reperta esse videbantur, nisi forte eius generis quid in Moguntina aut Frobeniana editione apparebat. Cum igitur amplius dubitandum non videretur, quin alii loci, qui in Bambergensi libro secus atque in reliquis legerentur, ab eis quibus illorum egregiorum librorum copia fuerat, prorsus praetermissi ac neglecti essent, alii non integri sed eae tantum eorum partes, quae ad res dubias spectarent, ex optimis libris exscriptae essent, cumque in uno Bambergensi acquiescendum non videretur: operam nostram si non irritam at non satis idoneam perfectamque fore videbamus, nisi cum Bambergensi Puteaneum, quem omnium huius decadis tertiae librorum et antiquissimum et integerrimum esse constaret, conferre atque coniungere potuissemus.

Itaque cum ille liber pretiosissimus in regia bibliotheca Parisina esset, Car. Bened. Hasium, virum cum doctrinae copia tum omni humanitatis genere celebratissimum, per litteras adii, ut mihi ex eo tricesimum librum Livianum ea qua in hac re opus esset diligentia describendum curaret. nec quidquam mihi gratius contingere potuit, quam ut per illum mihi conciliaretur E. Millerus, cui graecorum manu scriptorum custodia in illa bibliotheca mandata est: tanta enim vir doctissimus in opere laboriosissimo sollertia tantaque assiduitate versatus est, ut ne minima quidem nec oculos nec mentem eius

fugisse videantur. tum demum intelligere mihi videbar, non modo quanta praestantia hic liber Bambergensis esset et quae habenda esset vera oratio Liviana propriaque scribendi ratio: sed quo id peccato fieri potuisset, ut in melioribus etiam libris manu scriptis haud raro oratio ab recto aberraret. cum enim illius Puteanei librarius, quamquam alioqui diligentissimus, interdum peccasset inter scribendum aut singulas litteras omittendo aut similes alias pro iustis scribendo, deinde vel ipse qui scripserat vel alter qui correctoris munere fungebatur, id quod parum recte scriptum videretur, emendaret: non numquam accidit ut alia, in quibus nihil prorsus erratum erat, mutarentur, alia non ita ut debebant emendarentur. ex hac demum antiquissimi libri vel similis cuiusdam emendatrice quasi recognitione profecti sunt et Bambergensis et Mediceus et si qui alii libri meliores qui habeantur digni sunt, quorum graviora menda unde orta essent, vix ullo loco pro comperto habuissemus, nisi ex tam liquido fonte nobis hauriendum fuisset.

Sed cum tricesimi libri in illo antiquissimo codice priora tantum undetriginta capita reliqua essent, et tricesimi capitis oratio usque ad verba *consul creatus cū*, deinde ex posteriore parte una tantum exstaret charta, quae orationem capitis tricesimi septimi inde a verbis *neque domarent alios* usque ad sequentis capitis verba *indutiae quae carthagi* complectebatur: idem

ille vir optimus reliquam huius libri partem ex altero Parisino eiusdem decadis codice (num. 5731.), qui Puteaneo proximus erat aetate, descripsit, unde corrupti quidam loci, de quorum emendatione quibusdam hominibus doctis iam desperandum visum erat, ita in integrum restitui poterant, ut de eorum integritate non amplius dubitandum esset. ex hoc genere fuerunt tres potissimum loci: primus ex capite tricesimo quinto, quo loco cum in codicibus manu scriptis vel *ad decem* vel *ad x* inveniretur, Car. Sigonius *victores ad duo millia cecidere* scripsit, ut Liviana relatio minus abesset a Polybiana. atque ita recentiores omnes scribi iusserunt, quamquam id quod in Palat. 3., cuius libri virtus J. Gebhardum omnino praeterierat, *victores ad mille et C. ceciderunt,* ad verum inveniendum ducere poterat. in hoc igitur libro Parisino idem quod apud Polybium 15, 14. 9. scriptum est, in supremo illo cum Hannibale proelio Romanorum *ad mille et quingentos cecidisse:* id quod verissimum habendum est, tum quod Livium in his rebus unum Polybium secutum esse constat, tum quod in Bambergensi scriptum est *victores ad x et cecidere*, cuius codicis librarium etiam aliis locis litterae *d* et *l* numeros explicantes fefellerant. alter locus est in capite quadragesimo secundo, ubi adhuc scribebatur *de his rebus interrogati Macedones cum perplexe responderent, ipsi ante responsum tulerunt:* quo loco

cum in Bamberg. inter verba *respon* et *responsum tulerunt* lacuna esset, ex Paris. libri fide restituendum erat *neque ipsi mite responsum tulerunt.* particulam *neque* enim non modo apud Quintilianum et Tacitum sed etiam apud Livium et Ciceronem pro *ne..quidem* scriptam reperiri, in libello qui ad indicenda sollemnia examinis publici in gymnasio Berolinensi Leucophaeo instituendi hoc ipso anno in publicum editus est, multis locis ex utriusque scriptoris libris allatis docuimus. conf. ex. c. apud Livium 23, 18: *„ita primis repulsis Maharbal cum maiore robore virorum missus nec ipse eruptionem cohortium sustinuit.“* 31, 22: *„non modo Sunium superare sed nec extra fretum Euripi committere aperto mari se audebant.“* 5, 33: *„Alpinis quoque ea gentibus haud dubie origo est, maxime Rhaetiis, quos loca ipsa efferarunt ne quid ex antiquo praeter sonum linguae nec eum incorruptum retinerent.“* tertio loco 30, 45. etiam in Bamb. male scriptum est *quadragenos aeris*, quo mendo ut *a* pro *i* scriberetur, et in eodem illo numero exhibendo etiam 1, 53. 26, 47. 37, 45. in optimis quibusque libris peccatum est. hoc igitur loco in Par. cod. repertum est *militibus ex p̄da. CCCC. eris diuisit:* id quod Henr. Glareanus pro vero habendum esse acute coniecerat. verum tamen quamvis ex postrema totius libri parte hic tertius locus in uno Paris. codice integer fuisse videretur, tamen huius

ipsius partis tria fere capita postrema, quae in plerisque antiquioribus libris aut deerant aut valde corrupta erant, ne in hoc quidem Par. libro satis emendata reperiebantur sed ex alio ac priora fonte hausta videbantur: qua re Bambergensis et Parisinus cum alias semper prope consentiant, hac parte haud raro inter se discrepant, quamquam etiam his tribus capitibus Parisinus si cum Gronovianis et Drakenborchianis libris collatus erit, secundum ab Bambergensi locum obtinere videbitur.

Deinde cum ex Drakenb. annotationibus vidissem, in senatoria civitatis Lipsiensis bibliotheca esse quarti decimi saeculi codicem Livianum, qui cum Palatino primo quam maxime congrueret: nec me fugisset, magnam quidem illius Pal. 1. esse praestantiam, sed eum non ita esse integrum, ut non quibusdam locis doctorum hominum coniecturis atque interpolationibus immutatus esset: tamen e re mea fore arbitratus, si hunc etiam Lipsiensem librum perscrutari possem, Lipsiam profectus curatorum illius bibliothecae honestissimorum comitate statim optatum impetravi. nec me poenitebat huius operae. Lipsiensis enim liber, sine dubio ex codice pervetusto exscriptus, saepe cum Puteaneo consentit, ut in utroque et antiqua oratio servata sit et scribendi ratio: sed tamen ita, quod quidem ad hoc alterum attinet, ut id quod a vulgari ratione ab-

horrens in Puteaneo perraro invenitur, in Lipsiensi saepius exhibitum sit. sic in Put. interdum non *efferre* sed *eferre* scriptum erat, atque hoc *eferre*, quod in Bambergensi nusquam vidi, in Lipsiensi saepe legitur. contra in eodem libro litteras consonantes saepissime ita duplicatas reppereris, ut in quarti decimi saeculi libris scribi solebant: *bructii, lictora, condictio, actinere, conscilium, scicilia, peccunia, insullae, millitaris, fallerati, recussandum* al.; quamquam quaedam eius generis etiam in optimis libris reperiebantur, ut *suppremus, suppellex*. hac ipsa tamen scribendi ratione interdum videbatur verum reperiri posse. cum enim in antiquioribus libris *ii* haud raro in *i* contraheretur et in nominibus et in verbis, in Lipsiensi, si quid eius generis in illis scriptum fuerat, semper *ij* positum vidimus: ut cum ita in Lipsiensi scriptum est, dubitandum sit an in antiquis codicibus una *i* posita fuerit: de qua re infra videbimus. maximi autem momenti erat hic liber quibusdum locis, quibus in antiquioribus codicibus librariorum culpa aliquid peccatum erat, ut si quid in illis omissum esset, in Lipsiensi interdum verissimam Livianam manum servatam nobis videremur deprehendisse, interdum id quod in illis minus recte scriptum erat, ita emendatum ut in eo acquiesci posse videretur. Lipsiensis codex orationem tricesimi libri priorum capitum XL praebet omnem, tum quadragesimi primi capi-

tis usque ad verba *consuli L nauium classis ex duabus classibus,* sed haec postrema verba non incorrupta, deinde capitis quadragesimi secundi a verbis *raro simul hominibus* usque ad quadragesimi quarti capitis *risum esse.*

Cum his libris Berolinensem quinti decimi saeculi codicem Livianam tertiam decadem complectentem principesque Livianorum annalium editiones magno cum fructu contuli. ille enim liber ab docto quodam homine ex longe antiquiore codice eo consilio descriptus est, ut si fieri posset, difficiliores locos omnes, quibus aliquid a prioribus librariis peccatum esset, pervestigaret atque emendaret. et mirum profecto quantum et ille et qui Romanam primam editionem paraverunt, in hac re difficillima atque laboriosissima praestiterunt. cum enim in antiquissimis libris Livianis permulti loci invenirentur, qui ita ut ferebantur, sanum iustumque sensum praebere non viderentur, quod subinde verba quaedam in eis negligenter praetermissa essent: librariorum curam recentiorum in eo potissimum versari necesse erat, ut inprimis hi loci in integrum restituerentur; et cum integriores libri, ex quibus vera Liviana manus cognosci potuisset, nulli reperirentur, ut coniiciendo, quid quoque loco cum reliqua oratione aptissime cohaerere videretur, neglecti eius generis loci sanarentur. sed illi boni homines cum in hoc studio versarentur, non semper ea qua tantae antiqui-

quitatis monumenta praeclarissima digna erant, religione utebantur, nec multum considerabant, num ea quae primo aspectu corrupta viderentur, diligentius examinata rectissime se haberent, aut singulis quibusdam litteris emendatis satis restituerentur: dummodo id, quod Livium scripsisse volebant, per se emendate dictum esset. neque tamen qui haec tractarunt reprehendendi videbuntur, si ardentiore quodam studio impulsi etiam quae emendatione nihil egebant, emendanda habuerint, nec omnia quae integra haberi non poterant, in tanta mendorum copia subtili iudicio examinarint probabilique ratione emendarint: cum saepe ne suspicari quidem potuerint, quo potissimum loco vitium lateret, nisi antiquis libris atque integris qui rarissimi reperiebantur ducibus id, quod ab initio scriptum fuerat, cum eo quod ab hominibus doctis erat refictum, conferre possent. ita enim et nos quibusdam locis meminimus tum demum de vera oratione dubitare coepisse, cum Puteaneum et Bambergensem ante oculos habebamus. Quid multa? Cum aliis locis ab elegantioris doctrinae hominibus provisum cerneremus, aliis ab eis qui antiquorum temporum venustatem atque elegantiam ne primoribus quidem ut dicunt labris gustasse viderentur, haec tamen propemodum omnia usque ad nostra tempora tamquam unice veram Livianam orationem ferri videremus: primam artis criticae nobis esse

legem oportebat, ne qui loci vere emendati haberentur, nisi quorum oratio ex optimis atque antiquissimis libris denuo hausta esset; neve ex eo, quod in illis libris repertum esset, quidquam mutaretur, si per se et pro latini sermonis ratione ferri posset, ut ita tandem integram consequeremur veteris scriptoris manum; ac si quid librariorum negligentia in eisdem praetermissum fuisset, ne in eo, quod interpretationis causa recentioribus temporibus additum esset, acquiesceremus, si antiquis libris auctoribus meliore ac probabiliore ratione verum pervestigari ac restitui posset; denique in hoc postremo ut eo maior adhiberetur cautio diligentiaque, quo saepius corrupti eius generis loci reperirentur, quorum nec a Gronoviis nec a Crevierio Drakenborchioque ulla mentio facta esset. quamquam hoc tantum studium et laboriosissimum et difficillimum videbatur, tamen eo supersederi non posse persuasum habebamus, nisi omnem curam in Livio emendando positam ponendamque ad irritum cadere vellemus. qua igitur ratione in eis tricesimi libri Liviani locis, qui ita ut in optimis codicibus legebantur, probari non posse viderentur sed quibus coniectura providendum esset, emendandis usi simus, breviter iam demonstrandum est.

In hoc iam id primum videtur animadvertendum, Puteaneum et Bambergensem ab eis descriptos esse librariis, qui nefas sibi habe-

rent in antiqua oratione quidquam mutare, nisi ubi leve quoddam mendum intervenisse putarent, quod facili negotio tolleretur. ex hoc genere videtur esse, si 30, 27. in Put. scriptum est *et ut placatis dis omnia inciperent*, cum in antiquiore libro *et ut ad plac.* fuerit, quod ex Bambergensis manu priore videre licet. sed ne haec quidem nisi perraro reperta erunt: nam quod in Bambergensi non semper antiquior illa quae in Puteaneo scribendi ratio servata est, et ex. gr. 30, 2. non *maritumam* sed *maritimam*, 30, 16. non *incohaverat* sed *inquohaverat* scribitur, et, quod iam supra diximus, pronominibus quibusdam littera *h* additur: hoc unum prope videtur erratorum genus esse, quod librario non inscio admissum sit, ut ex comparatione cum Puteaneo apparet. non enim semper in his librarios sibi constitisse, ut interdum vel in his ipsis rebus Bambergensis Puteaneo integrior videatur esse, infra videbimus. Alter tamen ille Parisinus, quamquam et ipse praestantissimus, non omnibus locis eadem scriptus est religione, quod non tam ex illa consonantes litteras assimulandi ratione nec in Puteaneo nec in Bambergensi exhibita, ut pro *quem ad modum* scriberetur *quemammodum*, *ammonendo* pro *admonendo*, cognosci potest, quam ex eo, quod ad lectionem alteram, quam ex duabus librarius sequebatur, firmandam raro quidem sed tamen non numquam in media scriptoris oratione aliquid

additum est, ut 30, 42. ubi in uno Bamb. rectissime *si non in eo quoque quo nihil ulterius sit seuire populus rom. uellet*, in hoc Par. *si non in ea menia quoque* cet. scriptum est: ut 30, 35. ubi in Par., cum *stare., que* ab nescio quo additum esset, *signa sequi et stare seruareque ordines* invenimus, quamquam pro Liviana tria verba coniungendi ratione non ita scribendum erat. ad haec similiaque peccata evitanda summa diligentia atque vigilantia hominibus criticam artem profitentibus opus est, ne quis antiqua aliqua scribendi ratione in errorem inducatur, cum haud raro librarii eis rebus quas ipsi commenti erant, speciem quandam antiquae orationis dare veriti non sint. sic 30, 40. in Paris. scriptum erat *P. Aelius Tuuero* pro *Tubero:* posteriores quidam librarii, atque etiam codicis Lipsiensis, hoc pro *tū uero* scriptum verborumque ordinem mutandum esse rati illud *tum vero* posuerunt ante *de provinciis oonsulum:* quae res non modo Glareano et Aldo sed I. Fr. Gronovio maiorem quam suspicareris dubitationem de vera lectione incussit. hoc igitur loco ne quis dubitaret, quin recte ita scriptum esset, Drakenborchiani codicis Gaertn. librarius elegantissima sibi videbatur emendatione locum restituisse, cum scriberet *quom uero de prouinciis consulum.*

Itaque cum ea esset et Puteanei et Bambergensis praestantia, ut longe maxima eorum

locorum parte, ubi quid peccatum erat, incuria quadam librariorum ac negligentia factum videretur, similibusque locis prope semper simili modo erratum esset: leges illas, ut ita dicam, atque rationes quibus in illis libris peccatum esset, conquirendas putavi, quod his ipsis legibus perspectis non modo melius ac tutius id quod verum habendum esset, reperiri, sed etiam alterum altero mendo tolli posse videbatur. disserendum igitur primum videtur de eis locis, in quibus aliquid librariis invitis de iusta ratione excidit; tum de eis, ubi falsae cum itegris orationis partibus propter quandam arum similitudinem commutatae sunt.

I. Saepenumero cum mediis in verbis tum i verborum exitu singulae litterae negligenter praetermissae sunt: quo facto non numquam accidit ut recentioribus librariis ea quae um iam supererant, inter se connectenda pluriusque etiam aliis verbis supplenda viderentur.

1. Quo igitur mendo in P*) 30, 4. *tolli*

---

*) Ab hoc inde loco compendiis quibusdam in codicibus notandis utemur, ut

P	significet librum	Puteaneum vel Parisinum num. 5730.
P_2	- -	Parisinum num. 5731.
Bb	- -	Bambergensem
L	- -	Lipsiensem
Br	- -	Berolinensem
R	- editionem	princ. Romanam
T	- -	Tarvisanam
M	- -	Moguntinam

pro *tollit*, 30, 3. *excederen* pro *excederent* scriptum erat: eodem oratio corrupta est 30, 31., ubi etiam in recentissima editione ex I. F. Gronovii coniectura reperitur *quasi multa navium*, cum enim ibi non modo in Bb P2 L sed etiam in melioribus Drakenborchianis *quae si* esset, nec raro *si* pro *sit* scriptum inveniretur, ut 30, 26. in Bb *incertum ut si* pro *incertum ut sit*: hoc etiam loco pro *quae si* scribendum erat *quae sit multa navium* „*was als Strafe für die weggenommenen Schiffe gelte.*“

2. Hac ratione particula *et* saepe corrupta est, cum aut *t* omitteretur aut *e*, si vox antecedens in *e* terminabatur. ut igitur in P Bb 30, 6. *creder et ipsi* scriptum est pro *credere et ipsi*, 30, 18. in P *indet tribuni*, in Bb *ind et tribuni*: sic 30, 2. scribendum erat *ceterae et in Sicilia veteres*, 30, 10. *primo ipsae et tanto impetu et magnitudine rostratarum obruebantur*, cum in optimis libris et *cetera et* et *ipsa et tanto* vel *ipsae tanto* reperiretur. — Alterum illud mendum, ut littera *t* in hac particula negligeretur Italorum more *e* pro *et* usurpantium, deprehendimus 30, 11., ubi in P *ager e oppida*, in Bb et Mediceo *aggere oppida* scriptum est, cum *ager et oppida* scribendum fuerit. altero loco ubi eodem mendo peccatum erat, recentiores

---

A significet edition. Aldinam a. 1518.
F " " Frobenianam a. 1535.

errorem librariorum adeo nihil perspexerunt, ut multa eis addenda viderentur, quae in nullo libro antiquo reperiebantur. cum enim 30, 4. in P Bb et sine dubio etiam in ceteris libris antiquioribus, etsi nec Gronovius nec Drakenborchius quidquam de hac re annotarunt, scriptum esset *dum consulitur hasdrubal e carthaginienses,* recentiores *hasdrubale* pro una voce habuerunt et quod simile quid paulo ante legeretur, scripserunt *dum consulitur Hasdrubal ab Syphace, ab Hasdrubale Carthaginienses:* quamquam non modo in L Br sed etiam in R, quo magis illorum incuriam mireris, iam dudum unice verum restitutum erat *dum consulitur Hasdrubal et Carthaginienses.* sed illos librarios numerus quoque verbi *consulitur* in errorem induxit, cum ita etiam aliis locis pro singulari pluralem scribi voluerint, ut 30, 11. ubi non *stimulabant* sed *stimulabat* et in nostris libris et in plerisque Drakenborchianis repertum est.

3. Non numquam etiam evenit ut, cum mediis in verbis littera quaedam consonans excidisset, littera vocalis quae ante illam consonantem posita fuerat, in uno libro antiquo, altera quae post eam steterat, in altero quodam libro servaretur. sic 30, 32. in Bb invenimus *subicient*, in P2 *subitiant*, cum in utroque libro et altera vocalis et *b* neglectae essent, ut 30, 10. in P *superant* pro *superabant* scriptum erat: qua littera *b* addita repertum erit

illud *subiciebant*, quod in Drakenborchianis quibusdam libris integrum servatum est. ita etiam magnopere dubito an 2, 32. eodem mendo oratio corrupta sit et ex Havercampiano restituendum *consentiebant*, non modo quod in antiquis libris et *consentiant* et *consentiunt* est, sed quod in antiquissimo Harleiano *fuerat* reperitur, quod etiam Aldo probandum videbatur: ut igitur ibi scribendum sit: „*tempore quo in homine non ut nunc omnia in unum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium suus sermo fuerat, indignatas reliquas partes, sua cura suo labore ac ministerio ventri omnia quaeri.. conspirasse*" cet.

II. Persaepe omissae sunt et singulae litterae et syllabae et voces, si cum illis eaedem similesve litterae, syllabae, voces, aut in eisdem aut in circumstantibus verbis compositae fuerant et cohaeserant.

Ita scriptum est in P Bb 30, 2. *vobis et* pro *vovisset;* 30, 18. *ex legione duodecima missi* pro *amissi;* 30, 4. *agita res* pro *agitata res;* 30, 9. *quisque* pro *quisque quae;* 30, 20. in P *circasilinum* pro *circa casilinum;* 30, 30. in P *ceperim*, in Bb *coeperim* pro *eos ceperim;* 30, 16. in L *reporturum* pro *reportaturum;* 30, 26. in Bb *ad respetendas* pro *ad res repetendas;* 30, 8. in P Bb *namque* pro *nam neque;* 30, 16. *iam te* pro *iam ante;* 30, 30. in Bb *dedissent* pro *di dedissent;* 30, 40. in Bb P2 *terram* pro *terra*

rem; 30, 34. in P2 *iussit* pro *iussis et;* 30, 37. in Bb P2 *reuocatis* pro *revocatis lecatis* vel *legatis;* 30, 31. in Bb P2 *me fatere*, in L *me facere*, pro *me faterer facere*, ut F recte emendavit, cum in Br R T M A *me facere faterer* esset; 30, 3. in Bb *uestimentumque* pro *vestimenta frumentumque;* 30, 28. in P Bb *muralibusque* pro *muralibus vallaribusque:* multaque alia eiusdem generis.

1. Cum igitur 30, 10. in omnibus libris antiquis inveniretur *erat minime certamini nauali similis,* — quo loco Gronovius scribendum coniecit *erat minime certamen navali simile,* quamvis minus ab illis abesset *erat minime certamini navali simile*, praesertim cum ita aliis quoque locis scriptum reperiretur, ut 21, 8. *nihil tumultuariae pugnae simile erat;* 28, 30. *neque erat navali pugnae similis* (ita enim ibi pro *pugna* ex omnium meliorum librorum fide scribendum est): — cum igitur l. l. recentioribus videretur librariis *res* excidisse, scriptumque esset, ut etiam in Br, *erat res,* nec illa vox improbanda videretur, nihil mutavimus nisi quod *res erat* scripsimus, quod ibi, cum *r* etiam praecederet, *res* facilius videbatur praetermitti potuisse. sic enim etiam 27, 5. ubi in recentioribus libris *res Africae* est, cum opt. libris scribendum erit *quo in statu Africae res essent.* si cui vero *res* parum placuerit, non multum repugnabimus, quippe quos non fugiat, nullam vocem saepius a librariis addi-

tam esse, si quid in oratione desideraretur. cum igitur hac ratione apud Ciceronem de or. 1, 6. *subest res* ab recentioribus fictum videatur, et in antiquis libris inveniatur *nisi sit,* ibi scribendum coniicimus: *„etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio: quae nisi sint ab oratore perceptae et cognitae, inanem quandam habet elocutionem et paene puerilem.“* — 30, 27. cum in P Bb L *parique imperio cum Scipione imperator esset,* in Br *imperatori esset* inveniretur, ipsi scripsimus *cum Scipione imperatore esset,* cum id et res ipsa et similis locus 30, 40. postularet. Cum 30, 33. in Bb esset *alii alie spes,* in P2 *alie alii spes,* et persaepe in antiquis nostris libris metathesis quaedam verborum inveniretur, cum P2, qui a vero propius abesse videbatur, *aliae aliis spes* scripsimus: simili enim ratione ipsa littera *s* sexcenties neglecta est. haec eadem erat causa, cur 30, 11. cum Br scribendum videbatur *per turmas suis uiam dantis,* quamquam in Br *dantibus* erat, ut saepe *ibus* vel *ib'* pro *is* scriptum est: cum in P inveniretur *per turmas suam uiam dantis,* in Bb *per turmas uiam suam dantis,* sed ad id quod in Br esset, praeter alia etiam proxime antecedens locus *vincentibus spes aut pulsis ira adgregat suos* pertinere videretur. sic etiam 30, 7. cum L scribendum erat *voluntate concesserant in deditionem,* ut 28, 7. et alias, quamvis in P esset *in dicionem,* in

Bb *in dictionem*, non modo quod in P Bb saepe ita erratum est, ut 30, 12. ubi in P *di derunt* pro *di dederunt* al., sed quod Scipio postulare nec potuit nec voluit, ut illae urbes in Romanorum *dicionem* concederent, cum id ne ex pacis quidem conditionibus petendum videretur. sic enim 30, 37: „*quas urbis quosque agros quibusque finibus ante bellum tenuissent, tenerent:*“ quamquam et ibi in Bb P2 *qua urbis quoque agros* scriptum est. contra vere dici poterat et 30, 9. *urbes omnes quae Carthaginiensium dicionis erant:* et 29, 38. *Consentia et Pandosia et ignobiles aliae civitates voluntate in dicionem venerunt:* etsi in Bb et Medic. *de* supra *di* m. 2. additum est, ut *dedicionem* fieret.

2. Deinde littera *d* a librariis saepe praetermissa est, ut 30, 12. ubi in P Bb *non au* pro *non dari* legitur; 30, 22. in Bb *si quis qui uellet* pro *si quis quid vellet;* 30, 30. in P *a trasumennum* pro *ad trasum.*, nisi forte librarius *at trasum.* voluit. cum igitur 30, 33. in antiquioribus libris omnibus esset *post īrectos* vel *post irrectos,* neque hoc ferri posse videretur, litteram *d* post *t* excidisse arbitrati *post directos* scripsimus. haud raro enim litterae a librariis ita confusae sunt, ut 30, 33, ubi in Bb *in quoque* pro *hi quoque;* 30, 40. ubi in P2 *si adportandus* pro *si deport.* al. Sic etiam cum 30, 30. in Bb P2 scriptum esset *propterque ea bellum itum est*, et littera *e* in *ea*, ut sae-

pissime alias, ex priore voce iterata videretur, saepe etiam litterae *d* et *b* inter se commutatae essent, facere non potuimus, quin *propter quae ad bellum itum est* pro vera Livii manu haberemus, idque ita dictum putaremus, ut est apud eundem scriptorem *ad arma ire*, aut 4, 56. *ad bellum cooriri.* Et cum 30, 17. in opt. libris *quod cordi foret masinissae eis patres comprobare,* proque *eis,* quod probari non posset, in L Br R T scriptum esset *ei* eiusque loco in M *ea:* ipsi scripsimus *id,* cum *e* ex priore voce sumptum videretur, et *d* et alias ante *p* excidisset, ut in Bb 30, 34. *a pell.* pro *ad pellendum:* nec id parvi habendum esset, quod eodem loco 30, 17. in Bb *his sibi amplum* scriptum esset pro *id sibi amplum.* nam quod dici solet, et *quidquid* et alia pronomina relativa cum pluralibus ab Livio coniungi, id ex meliorum codicum fide haud raro improbandum videtur, ut 30, 42., ubi non *in ea quoque* sed cum Bb, ut supra iam diximus, *si non in eo quoque, quo nihil ulterius sit, saevire populus rom. vellet* scribendum erat: de quo *in eo* cf. inprimis F. Kritzius ad Sall. Cat. 9. *in amicis fideles erant.* Drakenb. 28, 43. *illud nec tibi in me, neu mihi in minoribus natu animi sit.* cf. etiam Corn. Nep. Dio. 6: *fortuna in filio suam vim exercuit.* Cic. pro Dei. 5, 15: *in eo tyrannum inveniri.* Parad. 3, 1: *libido si petulans fuisset in nobili virgine.* pro Mil. 33, 88: *in pri-*

vato aliquid profecerat. 31, 85: *ius in illo suum retinuisse.* pro Sext. 3, 7: *clara in hoc P. Sexti pietas exstitit:* et quem ibi A. Matth. laudat Soph. Ai. 1092. μὴ.. αὐτὸς ἐν θανοῦσιν ὑβριστὴς γένῃ.

3. Haud raro etiam, cum aut *et, es, ex,* aut *et, ut, uti, ubi,* se exciperent, una vel altera harum particularum propter aliarum similitudinem a librariis omissa est. cum igitur 30, 10: in P esset *harpagones uocat mil ex pun.*, in Bb *harpagones uocant miles x pun.*, in L *arpagones uocant milles pun.*, in Br *arpagones uocant milites ex pun.:* codices meliores secuti *harpagones vocat miles — ex pun.* scripsimus. 30, 18. ex P Bb L restituendum erat *gradum sensim referentes ordines et tenorem pugnae servabant,* cum iam in Br *et* omissum esset ab eis qui *ordines* pro nominativo haberent, quamvis aeque hoc loco accusativus esset atque 30, 34: *hastati sequentes hostem et signa et ordines confuderunt.* 30, 12. ubi in P Br *et uisus,* in Bb L *ut uisus* erat, aliud in alio libro praetermissum et utrumque restituendum videbatur: *et ut visus laetum ante omnis Masinissae praebiturus spectaculum ad Laelium pertrahitur:* „*und wird in der Erwartung, dafs sein Anblick vor Allen dem Masinissa ein angenehmes Schauspiel gewähren werde, zum Laelius geschleppt.*“ *et* enim ad *pertrahitur*, *ut* ad *praebiturus* pertinet, quem ad modum

apud Livium saepissime scriptum legimus, ex. gr. 30, 4. *velut a mari adgressurus Uticam;* 30, 8. *velut iam debellato;* 30, 10. *velut ad iustum proelium navale et tamquam exituris contra Romanis.*

4. Nihil tamen saepius videtur neglectum quam particula *in,* quae cum *in* vel *ī* scriberetur, non modo cum littera *m,* sed etiam cum *c, l, t, s,* inter legendum scribendumve facillime confundi posset. deinde cum in fine verborum in vocalem exeuntium persaepe vel littera *m* vel illa eiusdem interpretationis lineola sine iusta quadam causa a librariis antiquis poni soleret, ex hoc mendo alter ille error, ut *in* addendum videretur, non numquam exortus est. ita fit, ut aeque saepe *in* scriptum videamus, ubi scribi non debet, atque neglectum, quamvis scribendum fuerit. Sic portus ille Carthaginiensis 30, 10. in P Bb nominatus est *Rusucmona,* in Br R T *Rusucinona,* in L *Rusicinona,* praeter ea nomina quae viri docti excogitarunt. 30, 1. cum in omnibus antiquioribus libris inveniretur *finem,* et pro *non* in L *n̄c* esset, quod *n̄c* aeque pro *nunc* ac pro *non c* haberi posset, eademque res et alias a nobis in antiquis libris reperta esset, ut ex. c. 30, 36. in L esset *tc̄,* h. e. *tunc,* in Bb* vero *tum hi,* quod utrumque sine dubio ex eodem mendo antiquioris cuiusdam libri fluxerat; cumque haud raro litterae *o* et *u* inter se confusae essent, ut

30, 5. in P Bb *nu* pro *non*, *modicu* in P, *modicum* in Bb pro *modico*, 30, 27. in eisdem libris P Bb *si cut* pro *si cos*. inveniretur: facere non potuimus, quin unice veram Livii manum statueremus *P. Scipioni non in temporis sed rei gerendae finem, donec debellatum in Africa foret, prorogatum imperium est:* praesertim cum Livio hoc loco id inprimis quod dici solebat, *imperium in annum prorogatum esse*, ante oculos versari necesse esset, idemque et aliis locis ita scripsisset, ut 30, 28: *bellum in nullum propinquum debellandi finem geri.*

Difficilior eius generis locus 30, 9. erat, qui ab librariis adhuc pessime corruptus edebatur. cum enim ibi in P L esset *et praebere ipse conspectum cumfusum mare urbi possit*, in Bb *et praebere ipse conspectum consusum mare urbi possit:* recentiores librarii, in *cumfusum* maius quoddam erratum latere opinati, scripserunt in Br R T *et praebere ipse conspectum tum ad urbem tum ad circumfusum mare ubi posset*, nec hoc supplemento contenti *prospectum* fecerunt pro eo quod est *conspectum:* quasi qui a Tynete mare Carthagini circumfusum urbe multo inferius conspexisset, non idem etiam urbem ipsam conspicere potuisset: quamquam id hoc loco dici omnino nihil intererat, utpote quo de nulla re ageretur nisi de classe in mari ab Tynete conspecta. in antiquis igitur libris nihil admo-

dum omissum videbatur nisi syllaba *cir*, nec ea quidem in omnibus, cum in Drakenb. Lovel. 3. 4. *circumfusum* integrum esset: qua voce *circumfusum* restituta nihil mutandum videbatur nisi offendisset *conspectum*, cuius loco *conspiciendum* desiderabatur. cum igitur *conspectum esse in locum quendam* cum ab aliis tum a Livio dictum esset (6, 20.), idque non modo huic loco aptissimum videretur, sed etiam *in* post *m* facile omitti posset, recte se omnia habere videbantur si scriberetur: *et praebere ipse conspectum in circumfusum mare urbi possit.* ut hoc loco *in* post *m*, sic 30, 30. *m* ante *in* omissum est, cum ibi pro *multam* scriberetur in Bb *multa inrogemus*, in P2 *multo inrogemus.* contra 30, 5. idem illud *in*, cum ex antecedente *i* male iteratum esset, optimi Cantabrigiensis Sigonianorumque librorum fide omitti debebat et scribi *multi praecipiti fuga ruentes* pro *multi in praec.* simili mendo etiam 30, 2. in multis codd. *campestri in agro* pro *campestri agro* scriptum erat. et cum 30, 10. in P Bb L *atque inde in* (vel *atque iñ ī) mari quidem ubi ipsi plus poterant fidentes* scriptum esset, veri similius videbatur *in* scriptum esse pro *ne* quam *ne* prorsus omissum. multo enim fortior ita fiebat oratio, si *fidentes* cohaereret cum *mari*, quam si ad *fidentes* suppleretur *sibi.* sic etiam 30, 44. in P2 scriptum est *necesse est ne uos* pro *in uos,* 30, 10. in L *īcessatum* pro *ni cessatum:* al.

De-

Denique 30, 18. cum in P Bb L esset *et ut rem permixtus* (L: *perimtus*) *uti cuspide uti comminus gladio* (P: *cladio*) *posset;* in Br *et ut in rem permixtis ubi cuspide uti et cominus gladio posset:* nos Drakenb. Havercampianum codicem, qui quamvis recentissimus tamen persaepe cum optimis libris consentit, secuti scripsimus *et ut, ubi in rem permixtus uti cuspide uti comminus gladio posset, roboris maioris romanus eques erat, ita* cet. h. e. *in rem permissus atque ibi cum hostibus permixtus:* nisi forte rectius videtur *et ut, ubi in rem permissus uti cusp.* saepe enim litterae *s* et *x* confusae sunt: *nisus, nixus; mistus, mixtus;* 30, 10. in Bb *instrusere* pro *instruxere:* al. cf. 3, 70: *in media primum acie vinci coepti, qua permissus equitatus turbaverat ordines.* sicut supra *ubi in* omissum erat, sic 36, 38. in Bamb. *ut* praetermissum est, cum scribendum fuisset *ubi ut in numero* cet.

5. Quem ad modum I. 3. vidimus, voces quasdam ita corruptas inveniri, ut duarum litterarum altera, quae in uno libro antiquo exciderat, in altero servata esset, eisdemque litteris coniunctis verum reperiri posse: sic etiam cum integrae syllabae in vocibus quibusdam propter circumstantium syllabarum similitudinem praetermissae essent, non numquam contigit, ut altera syllaba in uno, altera in altero libro scripta reperiretur. cum igitur 30, 8. in

P *hastorum*, in Bb *hastarum* scriptum esset, syllabis *ta* et *to* coniunctis repertum est *hastatorum*, quod desiderabatur. 30, 24. in P invenimus *commeatu*, in Bb *cummeatu*, cum scribendum fuisset *cum commeatu*.

Similem locum corruptum 30, 6. nacti duabus syllabis duorum codicum coniunctis veram Livii orationem nobis restituisse videmur. in P enim ibi ab initio scriptum erat *binaque castra de una deleta*, sed m. 2. supra *de* addita est littera *i*, ut fieret *die*. atque hoc *die una* repperimus in L. sed cum in Br esset *una die*, id quod sine dubio etiam C. Sigonius in suis libris invenerat, cum ita in editione sua Aldina scribi iuberet: dubitari debebat, num *de* in P suo in loco positum esset. cum enim haec vox pro praepositione ab antiquo librario haberi posset, quo vocum genere nihil in antiquis libris saepius transmutatum esse infra videbimus, eademque syllaba *de* in *deleta* sequeretur, *de una deleta* ille scripsisse videbatur, quamvis *una de deleta* scribendum fuisset. deinde cum in Bb non *die una* sed *die uno* esset, *na* et *no* ex P Bb coniungenda videbantur, quo facto *una node deleta* effici necesse erat. itaque cum saepissime ita erratum videremus, ut *d* scriberetur pro *cl* vel *ct*, ut 30, 19. ubi in aliis libris *clampetia*, in aliis *dampetia* scriptum est, qua ratione etiam ap. Tacitum hist. 2, 2. *templum Paphiae Veneris inclitum* recte scri-

ptum est, cum in ed. Spir. *inditum* inveniretur: sic hoc quoque loco *de* pro *cte* scriptum videbatur, et restituendum esse *binaque castra una nocte deleta.* B. Rhenanus scribi voluerat *clade una*, ut in codice suo invenerat: sed illum librum, cuius orationem Rhen. usque ad XVI caput libri XXX descripsit, haud ita antiquum et ab docto quodam homine plurimis locis nec fere probabiliter refictum esse neminem huius rei peritum fugerit. ut igitur Sigonius illam Rhen. emendationem non probavit, quippe qui ad *una die* rediret: sic ne mihi quidem illa vox in utramque partem rem consideranti probatur. cum igitur nostra cum ratione non modo Appianus, qui in his rebus prope unum secutus videtur Livium, 8, 23. mire congruat, sed Livius ipse eodem dicendi genere multis aliis locis usus sit, nihil amplius desiderandum videtur. cf. 25, 39. *ita nocte ac die bina castra hostium expugnata ductu L. Marci.* 2, 53: *eademque hora duo exercitus duaeque potentissimae et maximae finitimae gentes superatae sunt.* 27, 3: *haec noctis una hora omnia incendere Campani coniuraverunt.* 1, 29. sic etiam 30, 30. cum Livius Hannibalem de eadem illa noctili pugna loquentem faceret, scriptum est: *binis eadem hora captis simul incensisque castris.* denique 26, 7. aliisque locis non *nocte una* sed *una nocte* scriptum reperimus: nec non de eadem re apud S. Aurelium Vict. qui et alias

Livium imitando expressit: „Hasdrubalis et Syphacis castra *una nocte* perrupit."

6. Praeter hos locos iam explicatos in libro tricesimo tres alios locos deprehendimus, quibus, cum integrae voces propter antecendentium similitudinem a librariis antiquis praetermissae essent, nisi hac una ratione mederi non possemus.

Primum eorum locorum 30, 3. nobis restituisse videbamur, si *set ab Syphace* scriberemus, cum *set* adhuc neglectum esset. praeibat enim *cepisset:* qua re *set* aeque hoc loco excidisse poterat, atque eadem vox aliis locis cum antecedentibus parum recte connexa erat. sic enim 30, 18. in Bb invenimus *effusisset*, in L *efulsisset*, utrumque pro *effusis set:* al. quamquam enim particulas adversativas ab antiquis scriptoribus interdum consulto neglectas esse haud ignoramus: hoc ipsum non fiebat, nisi ubi iusta eius generis interpretatio neminem fugere posset. hoc tamen loco res ita explicata erat, ut, *set* non addito, potius causalem quam adversativam coniunctionem scriptori in mente fuisse suspicareris. cf. etiam 30, 34: *sed et numero superior Romanus erat et animo.*

Alter locus legitur 30, 37. ubi in P scriptum est *excusata inprudentia disseruit quam nec iniqua et necessaria esset:* quam rem I. Fr. Gronovium ceterosque praeterisse eo magis mirandum videtur, quod hic locus in ex-

trema et singulari charta *) illius praestantissimi codicis reperitur, nec ille de rebus longe levioribus eiusdem plagulae tacere voluerit. idem quod in P, etiam in Bb et L scriptum est, nisi quod in Bb *imprudentia* et *nec in qua,* in L *īprouidētia diseruit* invenitur. quamquam ille locus ita ut ex P descriptus est, optime ferri poterat, tamen recentiores librarii rem expediri non posse opinabantur nisi multis aliis verbis additis. itaque in Br R T M A scripserunt *excusata imprudentia disseruit de pace multis verbis, quam nec iniqua et necessaria esset;* et quo elegantius verba se exciperent, ab F et recentioribus scriptum est *excusata imprudentia de pace multis verbis disseruit, quam nec iniq.* cet.: etsi *disserere* cum apud alios scriptores tum apud Livium ita ut hoc loco in P Bb L legebatur, nulla praeterea voce adiecta haud raro per se scriptum reperiebatur. itaque verbis quibus opus non erat, deletis nihil aliud offendebat, quam quod *pacis* vox aliquanto remotius abesset. cum igitur non modo *x* ante & in nostris libris saepius omissum esset, et quod in Bb erat, *nec in qua,* aliquid excidisse veri simile faceret, sed etiam propter quandam litterarum similitudinem hoc ipsum nomen *pax,* si cum *qua* vel *quā* coniungendum fuisset, ab codicum P Bb P2 L librariis in hoc uno libro tricesimo et 30, 4. et 30, 30. praetermissum esset: verum

*) cf. pag. XI. 27.

repertum esse videbatur, si *quam nec iniqua pax et necessaria esset* scriberetur.

Tertius locus eodem ex genere corruptus reperitur 30, 7., ubi in P Bb L scriptum est *ibi tribus una de pace legatos ad Scipionem decernebat.* quod cum ferendum non videretur, codicis Br librarius, quem R T M A F secuti sunt, *ibi tribus dictis sententiis una de p.* scripsit. I. Fr. Gronovius, cui haec emendatio audacior videbatur, *e tribus una de p.* scribi iussit, ut *e tribus* referretur ad *sententia*, quae vox multo post sequitur. sed quis ita loqui potest, ut hoc loco Livium scripsisse Gronovius et quibus eius emendatio probatur volunt. multo melius rem difficilem expedivisse videtur Drakenb. codicis Lovel. 5. librarius, qui *e tribus sententiis una de p.* scripsit. sed ne hoc quidem probari potest, cum in P Bb L paulo post sequatur *censebant*, cuius loco illi *censebat* posuerunt. ac ne quis coniiciat, *tribus* hoc loco pro nomine habendum et *tribus una* idem esse quod Romanorum tribus *„eine Tribus,“* quae rei interpretatio non modo pro Aristotelea (Polit. 2, 8.) Carthaginiensis senatus ratione sed etiam Polybiana (6, 51.) quodam modo videatur probanda, cum alia tum hoc prohibet, quod Livius aliam quandam eiusdem senatus imaginem Romano quam vero similiorem ante oculos videtur habere. necesse igitur est post *tribus* aliquid excidisse, quod *partibus* esse

multis et gravibus causis potest doceri: *„als die Sufeten den Senat berufen hatten, und sich dort drei Parteien bildeten.“* cùm enim *par* in antiquis libris haud raro compendio *p* scribatur, haec syllaba in posteriorem quendam versum videtur venisse, quod, ut infra videbimus, facillime fieri poterat, cum saepe ea quae librariis excidissent invitis, m. 2. adderentur nec tamen semper iusto loco. hoc loco illa syllaba *p* servata videtur in verbo *revocabat,* cuius loco in P Bb L *peruocabat* repperimus. sic quoque in Ovidianarum Metamorphoseon codice praestantissimo Berol. 8, 636. scriptum est: „tota domus duo sunt: idem parentque *iubent.* ergo ubi coelicolae *paruosque* tetigere penates:“ ubi *que* ad *iubent* pertinens cum *parvos* negligenter coniunctum est. sed etiam nulla eius generis causa *p* in verborum initio non numquam omissum est, ut 30, 9. ubi in Bb *ratim* pro *partim* invenimus. quodsi hoc loco prima syllaba vocis *partibus* quoquo modo praetermissa erat, non erat mirandum, si *tibus* post *tribus* delendum videretur. voce *partibus* igitur restituta omnia optime se habent, quod etiam ex Polybiana oratione 14. 6. 10. videre licet: quae res non parvi habenda est, cum Livius multis locis non modo idem quod Polybius rettulerit, sed in eo etiam eisdem quibus ille verbis interdum usus sit. Polybius autem l. l. ita scripsit: *οἱ μὲν γὰρ ἔφασαν, δεῖν πέμπειν ἐπὶ τὸν Ἀννίβαν καὶ*

καλεῖν ἐκ τῆς Ἰταλίας, ὡς μιᾶς ἔτι καταλειπομένης ἐλπίδος τῆς ἐν ἐκείνῳ τῷ στρατηγῷ καὶ ταῖς μετ' ἐκείνου δυνάμεσιν· οἱ δέ, διαπρεσβεύεσθαι πρὸς τὸν Πόπλιον ὑπὲρ ἀνοχῶν καὶ λαλεῖν ὑπὲρ διαλύσεων καὶ συνθηκῶν· ἕτεροι δὲ θαρρεῖν καὶ συνάγειν τὰς δυνάμεις καὶ διαπέμπεσθαι πρὸς τὸν Σύφακα· καὶ δὴ καὶ τέλος αὕτη τῶν γνωμῶν ἐπεκράτησεν. cf. etiam apud Livium 21, 6: „et alii provincias consulibus Hispaniam atque Africam decernentes terra marique rem gerendam censebant; alii totum in Hispaniam Hannibalemque intendebant bellum; erant qui non temere movendam rem tantam censerent: haec sententia, quae tutissima videbatur, vicit.“ 23, 20: „tantus repente maeror pavorque senatum eorum cepit, ut pars profugiendi ac deserendae urbis auctores essent, pars adiungendi se ceteris Bruttiis ac per eos dedendi Hannibali: vicit tamen ea pars quae nihil raptim ac temere agendum censuit.“

7. Cum similes voces saepe ita inter se confunderentur, non numquam etiam accidit, ut si qua inter illas ipsas posita fuerant, haec eadem illa negligentia praetermitterentur. 30, 30. ubi scribendum erat *nec in Italia solum vobis bellum, nobis in Africa esset:* scriptum est in P *nec in italia solum uobis in africa esset*; in Bb *nec in italia solum nobis in africa esset*, similique modo etiam in L, nisi

quod ibi *nobis* ita scriptum est ut eadem vox etiam pro *uobis* haberi posset.

In eodem capite tricesimo alter locus ejusdem generis erat, quem ex P2 emendavimus. cum enim in Bb L esset *utrimque corpora humana erunt*, in Br et seqq. *utrinque ferrum, corpora humana erunt:* iustam orationem in P2 repperimus *utrimque ferrum, utrimque corpora humana erunt.* 30, 17. eodem mendo oratio corrupta erat. nam cum in P Bb invenissemus *dein conlaudatum pro contione amplissimis decorasset operam masinissam et porro daturum esse,* recentioresque ut locum emendarent ab Br inde scripsissent *decorasset donis:* in uno L integram huius loci vocem repperisse nobis videbamur *decorasset operibus*, cum codicum P Bb librarios ab *operibus* in similem vocem paulo post sequentem *operam* aberrasse appareret.

8. Verum tamen cum non ubique hac ratione Liviana oratio vere emendata videretur, magna diligentia adhibenda erat, ne studio verum reperiendi ducti et ipsi in errores incideremus. Itaque cum particula *simul* non modo pro *simulatque* scriberetur, sed etiam pro *simul et* (30, 40. *legati ex Africa Romani simul Carthaginienses)* nec minus pro *simul ut* (30, 35. *simul . . fatigarent);* ausi non sumus 30, 4. cum R et seqq. scribere *simul ut ab eo,* cum non modo in P Bb L sed etiam in Br *simul ab eo . . simul ne qua* cet.

scriptum esset. Sic etiam 30, 33. iam in Br scriptum est *applicantes se antesignanis,* quem ad modum emendandum visum erat, quod in antiquioribus libris pauca excidissent. atque ita et nos in Bb P2 L repperimus *adplicante signis,* cum *adplicantes se signis,* ut saepe alias erratum est, scribendum fuisset. sed quod illi pro *signis* scribi voluerunt *antesignanis,* errasse videntur, non tam quod hoc loco *signa* pro *ordinibus ipsis* dicta esse possunt, quam quod Livius ipsa illa spatia quae post singulos ordines erant, ubi signa instrui solebant, significare videtur voluisse: ibi enim velites tutissime fugiebant elephantorum impetus, nec committebant ut sui turbarentur. Multo etiam peius videtur alter locus in eodem cap. 33. tractatus esse, ubi in P2 quidem omnia exciderunt quae inter *fecissent* et *cessabant* fuerant, sed ubi in Bb scriptum est *utrimque conitiebant tesignanis cessabant,* in L *utrinque coniciebant antesignanis cessabant.* cum enim in Bb ab initio alterum illud *an* omissum et alt. m. demum supra lineam additum esset, vel hoc ipsum nos docere poterat, nihil prorsus a Livio inter *coniciebant* et *antesign.* positum fuisse, praesertim cum pro Liviana scribendi ratione omnino nihil desideraretur. in uno exitu vocis *antesignanis* mendum quoddam latebat, cum ibi *s* pro *n* scriptum videretur: id quod mirum esse non poterat, cum non modo saepe nomini-

bus in vocalem exeuntibus littera *s* a librariis male addita sed etiam mediis in verbis *s* et *n* confusae essent, ut 28, 14. *utrisque* et *utrinque.* denique cum etiam $\overset{c}{n}$ pro *nec* scriptum reperiretur, *ce* sequeretur, *ni* antecederet, non dubitavimus pro *antesignanis cessabant* a Livio scriptum putare *antesignani, nec cessabant: „die in den ersten Gliedern schleuderten auf die Elephanten von beiden Seiten, und hörten nicht eher auf"* cet. recentiorum tamen codicum librarii permulta praetermissa opinati aeque inconsiderate atque 30, 4. 9. 35. al., etiam hunc locum depravarunt, cum scriberent *utrinque coniiciebant hastas, nec pila ab antesignanis cessabant.*

III. Quem ad modum eis quae scribi debebant omissis iustam orationem non numquam corruptam esse vidimus: sic interdum non minus erratum est, cum ea quae recte scripta erant, aut ipsa aut similia eorum temere bis terve scriberentur. sic 30, 30. in Bb scriptum est *indignissimus* pro *indigni simus,* et paulo post in Bb P2 *litoribus suos* pro *litoribus uos;* 30, 42. in Bb *auctum* pro *actum;* 30, 17. in Bb *amplissisissimis* pro *amplissimis;* 30, 33. in Bb P2 *uiam quam inruerent* pro *qua inruerent; nullam umquam* pro *nulla umquam;* 30, 1. in P *mamagone* pro *magone;* 30, 28. in P *duduratum* pro *duratum;* 30, 4. in P *essent consulerent tempus essent consuleret tempus esse:* al.

1. Cum igitur 30, 34. in Bb inveniretur *iussisset sautiis*, in P2 *iussit sauciis: postrema s* in *iussisset* deleta scripsi *receptui propere canere hastatis iussis et sauciis in postremam aciem subductis:* quod ita demum oratio sibi constare videbatur. Deinde cum 30, 17. in P esset *confirmaret et ad nisi molestum esset,* coniunctio *et* ex voce antecedente parum recte repetita videretur, *ad* non numquam in P pro *ac* scriptum reperiretur, ut 30, 27., ubi in Bb recte *ac duas legiones,* sed in P L *ad duas leg.* est: dubium non videbatur quin hoc etiam loco scribendum esset *confirmaret: ac nisi molestum esset.* quam temere ita particula *et* invitis antiquis libris a recentioribus librariis addi solita sit, etiam 30, 36. videre licet *„et quanta res esset et.“* — 30, 23. cum in P Bb L Br R T scriptum esset *quam eum qui,* pro eoque in M et seqq. *quam is qui:* restituendum putavi *et nemo omnium verius existumare posset, qua mente ea pax peteretur, quam qui ante portas Carthaginis bellum gereret.* aeque enim hoc loco *eum* ex voce *quam* repetitum videtur, atque 30, 36. in Bb L scriptum est *minore cum eum misericordia,* in P2 *minore cū mīa eū,* cum scribi necesse fuerit *minore cum misericordia.* cf. etiam 2, 56: *summoveri Laetorius iubet praeterquam qui suffragium ineant.* 23, 31: *praeterquam qui milites ad Cannas fuissent.* 4, 49: *quam qui vos in colonias mittunt.* 34, 18:

quam qui primi venerant. 39, 54: *quam qui.* 40, 5: *quam quem.* sic etiam Tan. Faber recte videtur scripsisse 4, 32. *quam qui*, cum in codd. esset *quam eos qui.* — Cum 30, 40. in Bb scriptum esset *belli finem alterius alterius principum alterius,* hoc loco duae lectiones ita coniunctae videbantur, ut saepe in melioribus libris inveniuntur (ex c. 30, 9. in P Bb *omnibus finitionibus*, in L *oīb' finiti oīb'* h. e. *omnibus finiti omnibus,* quasi in antiquioribus libris non modo *omnibus finitimis* sed etiam *finitimis omnibus* scriptum fuerit; 5, 49. in opt. Medic. *re noua re,* eodemque in libro 4, 60. *iuuarebat* pro *iuuaret* et *iuuabat;* al.): qua re etiam l. l. restituendum erat *belli finem alterius*, *alterius principium prospiciebant animis.* — Denique cum 30, 28. in P scriptum esset *finem gerere eree ereexerant,* verissimum esse rati, etiam in verbo *gerere* male iteratum esse *ere*, quod *gerere* vel propter *ante oculos* nullo modo ferri potest, pro *gerere* scripsimus *geri*, praesertim cum eodem mendo in antiquis libris saepissime erratum esse constaret.

2. Simili ratione etiam ita peccatum est, ut vocibus quibusdam *re* vel *ere* adderetur, tamquam si infinitivi cuiusdam forma a prioribus neglecta esset. sic enim in Bb P2 *certare* pro *certa,* 30, 13. in P Bb *conquiescere* pro *conquiesse*, al. scriptum est. cum igitur 30, 31. in P2 L inveniretur *habere aduentus*

tui spem, in Bb *auere aduentus tui spem,* et recentiores prima voce deleta *adventus tui spe* scripsissent: restituendum videbatur *ab adventus tui spe,* cum praepositio *ab* pro Liviana dicendi ratione ab hoc loco minime aliena esset, nec quidquam in antiquis libris prorsus delendum videretur, nisi ratio qua quid integrae orationi temere interpositum esset, nemini obscura esse posset. — Contra ea 30, 40. cum in Bb P2 scriptum esset *pater facta,* in F *patefacta,* in rell. *patuere facta gratulatione:* littera *e* addita ad id, quod in Bb P2 repperimus, *tum patere* scripsimus, quod eadem *e* vel *t* etiam in 3. persona plur. perf. haud raro post *r* praetermittitur, et infinitivus hist. verborum finitorum loco in antiquis libris Livianis saepissime reperitur, et pro eo quod Rhenanus voluit, non *gratulatione* sed *gratulationi* scribi necesse videtur.

IV. Interdum vera oratio pessum data est, cum in antiquiore quodam codice, ex quo alii deinceps libri describebantur, aliquid negligenter omissum, nec ea qua debebat diligentia id quod exciderat supra lineam postea restitutum esset, ut aliud alii librarii pro vero habere possent. Itaque cum 30, 18. in P ab initio scriptum esset *magna exparcaea* pro *magna ex parte caesa,* mendoque cognito *t* supra *c* scriptum et nescio qua manu *ca* expunctum esset, quasi scribi oporteret *magna ex parte a pudore:* tota vox *caesa* in Bb L excidit.

Sic 30, 12. in P m. 1: scriptum est *in regiam concedit re secum ipse*, et peccato cognito supra *dit* additum *um ue*, ut littera *t*, qua *concedit* terminatur, repetita fieret *tum*, et ut ad *ue* ex *re*, quod in continua oratione erat, *ro* suppleretur: quae supplendi ratio vel eo nemini dubia fore videbatur, quod etiam alias *uero* compendio *ů* scribi solebat. verum in ipsa syllaba *re* latebat aliud mendum, cum *re* pro *re*put*are* scriptum esset, cuius errati paulo ante plura exempla attulimus. sed cum idem ille alter librarius caeco quodam impetu etiam litteras *ed* in verbo *concedit* deleret, posteriores librarii totum locum ita depravarunt, ut in Bb et Medic. scriberent *in regiam cum conuenere secum ipse*, in L *in regiam concubere secum ipse:* tum in Br et seqq. ex coniectura *in regiam concedit. institit deinde reputare secum ipse.*

V. Neque tamen hac una ratione loci integri corrumpebantur, ut cum quid invito librario ex antiqua oratione excidisset, mendo perspecto id quod praetermissum erat, modo supra modo infra eum locum, ubi erratum erat, nec fere incorruptum adiiceretur; sed etiam ut, cum vox aliqua tali peccato ex suo loco in alium quendam, quo non pertinebat, migrasset, ut ea ibi cum altero quodam verbo, si res ita ferebat, in unum confunderetur.

Singularem eius generis locum deprehendimus 30, 15., ubi in P scriptum est *edito*

gemitu fidum e seruis uocat sub cuius regio more ad inc., in Bb *edito gemitu fidum e seruis uo sub cuius regio fide more ad inc.*, in L *edito gemitu fido ex seruis uno accito sub cuius regio fide more ad inc.*, in Br R T M A F *edito gemitu fido ex seruis uno accito sub cuius custodia regio more ad inc.*, in recentioribus edd. *edito gemitu fidum e servis vocat, sub cuius custodia regio more ad inc.*: quamquam scribi oportuit: „*ingenti ad postremum edito gemitu eum ex servis vocat, sub cuius fide regio more ad incerta fortunae venenum erat.*“ cum enim altero illo loco *fide* in P non esset, dubitandum non erat, quin ea vox ex hoc ipso loco nescio quo casu in superiorem locum inter *gemitu* et *ex servis* translata esset, cumque ibi *eū* ab initio legeretur, cum hoc coalesceret in *fidum:* nullo enim peccato saepius erratum est, quam ut breviores quaedam voces, quarum partes et in fine et in initio circumstantium vocum legebantur, praetermitterentur: (ut 30, 23., ubi in L Br R T A F scriptum est *de re maiore quam quanta esset*, cum scribendum fuisset *quam quanta ea esset:)*.. cum igitur *fidum* recentioribus librariis valde probaretur, *fide* autem quod paulo post sequebatur, ferendum non videretur, *custodia* praeter alia quaedam commenti sunt, ne quid ullo loco desideraretur. *ex* tamen pro *e* restituendum nobis videbatur ex L Br, cum multis aliis locis etiam in P Bb hanc

hanc vocem ante *s* parum diligenter scriptam vidissemus.

VI. Non numquam denique ex integra oratione aliquid excidit, quamquam nullae prope modum causae, quibus librarii in tales errores inducti sint, reperiri posse videntur; multa contra iustae orationi ab recentiorum potissimum codicum librariis interpretationis causa addita sunt.

1. Huc pertinet locus, qui 30, 40. in Bb ita legitur *Verminam etiam Syphacis filium, quae parue bene geste rei accessio erat, deuictum;* in P2 *que parua bene geste rei accessio erat deuictum;* in L *que parue rei geste accessio deuictum erat:* similique ratione videtur in omnibus antiquioribus libris scriptum. sed cum in maiore illo cum Carthaginiensibus proelio supremo, cuius eodem loco mentio fit, viginti milia hostium cecidisse 30, 35. traditum sit, in hac altera cum Vermina pugna 30, 36. quindecim milia: haec altera victoria dici potest *accessio* priori victoriae, non *parva accessio*. quod cum Havercampiani codicis librarius recte perspexisset, ipse *quae non parua bene gestae rei accessio fuerat* scribendum censuit, in hoc uno ab recto aberrans, quod *non* scripsit, cum *haud parua* scribendum fuisset. uno enim loco excepto 29, 25., quo non sine causa *non parvo numero inter auctores discrepat* scriptum videtur, nusquam apud Livium, nisi fallimur, *non parvum* sed

semper *haud parvum* reperiri meminimus. sic 7, 30: *haud parva, ut arbitror, accessio bonis rebus vestris in amicitiam venimus vestram.* 1, 56: *haud parvus labor.* 6, 20: *haud parva fuisse.* 7, 42: *haud parvas vires.* 22, 18: *haud parvam rem.* 29, 14: *haud parvae rei.* 23, 10: *haud parvo initio.* 25, 40: *haud parvae reliquiae.* 29, 12. 13. et 33, 49: *haud parvum momentum.* 40, 21: *haud parvi momenti.* itaque cum Livius in simili re semper ita scripsisse videretur, resque ipsa tale quid postularet, nihil dubitavimus *quae haud parva bene gestae rei accessio erat* pro unice vero habere: in quo ne id quidem parvi momenti erat, quod etiam aliis locis particulae negativae neglectae sunt ab antiquis librariis: ut 30, 23., ubi in P Bb L *reuocarentur* pro *non reuocarentur* reperitur; 5, 15. ubi in opt. quibusque codd. *deserturos esse* pro *deserturos non esse* scriptum est. 4, 2. quoque C. Sigonius restituit *finem non fieri. non posse in eadem civitate tribunos plebis et patres esse:* cum in codd. manu scriptis altero loco *non* praetermissum esset.

Alter eius generis locus legitur 30, 36., quo cum id quod in melioribus libris est, ferri non posse videretur, recentiores librarii alii alia ratione locum emendare conati sunt. cum enim in Bb P2 esset *ipse ad contemplandum Carthaginis situm non tam noscendi in praesentia quam deprimendi* (Bb: *depraemendi* h.

e. *depremendi) hostis causa Uticam .. rediit*; in L Br R T M A *ipse ad contemplandum situm Carthaginis* cet.: F scripsit *ipse ab contemplato situ Carthaginis ... Uticam rediit:* in quo non tam id vituperandum videtur, quod *ab* cum *ad*, et perfecti participium cum futuro mutatum voluit, quam quod ea quae apud Livium sequuntur, cum illius ratione parum convenire videntur. Gronovius, quem recentiores secuti sunt, etiam magis a vero aberravit, cum scriberet *ipse ab contemplando situ Carthaginis .. Uticam rediit:* nihil enim minus congruere videtur, quam si ita Scipio ne auditis quidem Carthaginiensium legatis et quamvis maxima classe eoque uno consilio ut hostium animos percuteret profectus esset, infecta re Uticam redisse dicatur. longe meliorem loci emendandi rationem codicis Lov. 4. librarius iniit, cum scribi vellet *ipse contemplatus situm Carthaginis.* nam *contemplatus* et per se huic loco aptum videtur et saepe in simili re apud Livium positum legitur, ut 3, 28: „ibi dictator, quantum nocte prospici poterat, equo circumvectus *contemplatusque*, qui tractus castrorum quaeque forma esset, tribunis militum imperavit“ cet. 36, 22: „ut situm nosceret urbis, ab omni parte equo moenia est circumvectus. *contemplatus* omnia quae noscenda erant“ cet. 38, 20: „haec *contemplatus* . . posuit castra.“ sed cum ne haec quidem coniectura satis probanda videretur,

praesertim cum nimis ab eo quod in omnibus codd. manu scriptis invenitur recederet, et id quod in illis est, haudquaquam corruptum videretur esse, verbum quoddam excidisse rati inter *causa* et *Uticam* adiecimus *provectus*, quod tale quid pro loci ratione quam maxime desiderabatur, illoque loco id ipsum facile praetermitti poterat: „er selbst verfolgte seinen Zweck, Carthagos Lage zu besichtigen, nicht sowohl um sich für den Augenblick davon in Kenntnifs zu setzen, als um die Feinde zu schrekken, und kehrte dann nach Utica zurück." *provectus* igitur hoc loco idem est quod *porro vectus*, vel quod 9, 2: *„si ire porro pergas:"* atque illud Virgilianum (3, 506.) *provehimur pelago.* cf. etiam 38, 20: *„progressum* eum ad naturam montis situmque Gallicorum castrorum visendum equites hostium in fugam averterunt." — „tertio die cum omnibus ad loca exploranda *profectus* .. circumvectus montem."

2. Quod deinde ad supplementa ab recentioribus librariis nulla idonea causa integrae orationi addita pertinet, iam locis ex 30, 4. et 9. allatis cognitum erit, quanta illi in Livio emendando licentia usi sint. verum tamen illis duobus locis in antiquis libris minus diligenter servatis quodam modo opus poterat videri tali emendatione: sed qui 30, 35., ubi in omnibus melioribus libris *„Italicos, incertos socii an hostes essent, in postremam aciem summotos"* scriptum erat, ad *Italicos* adiecit

intervallo quoque diremptos, quod simile quid 30, 33. „*modico deinde intervallo relicto*" legebatur, is sane pessime de Livio meritus est. 30, 42., ubi in Bb est *in secundis sapere,* scripserunt *in secundis rebus sapere,* fortasse quod paulo ante legebatur *rebus secundis,* nec meminerant, saepissime apud Livium neutra adiectivorum pro substantivis scripta reperiri. eodem loco ad *Barchinae* addiderunt *factioni,* quamquam tali supplemento opus non erat nec quidquam eius generis in antiquis libris inveniebatur. 30, 12., ubi *detractam eam geniali* in P Bb est, scripserunt *toro geniali.* 30, 17. quamvis in antiquis codd. esset *sagula purpurea duo cum fibulis singulis,* scribi voluerunt *cum fibulis aureis singulis.* 30, 5. et 35. adiecerunt *multos* et *multi* invitis libris antiquis omnibus. simili errato ex Sigonii coniectura 28, 19. recentiores scripserunt *et meminerant et admonebant alii alios,* quamvis id, quod in opt. libris est, rectissime se haberet *et meminerant et admonebant alios, supplicium ex se non victoriam peti.* 30, 26., scilicet ut duo sibi responderent adiectiva, scripserunt *pluribus victoriis et maioribus proeliis,* quamquam *pluribus* nec in P Bb nec in ceteris libris antiquis est. 30, 27. *per quinquennium illud,* cum in melioribus codd. nihil esset nisi *per quinquennium.* 30, 30. invitis libris antiquis interposuerunt *inquam;* item 30, 40. *dari,* quamquam *si pacem per P. Scipionem*

iussissent libri meliores recte habuerunt. (cf. 30, 27.) Quamvis neminem fugere possit, ab Livio omitti solere verbum substantivum *esse*, interdum etiam cum coniunctivus postulari videtur, cuius dicendi generis multa apud Tacitum exempla reperiuntur: tamen in recentioribus libris manuscriptis saepissime id ipsum verbum additum videmus. delendum igitur illud erat optimorum librorum fide 30, 26., ubi scripserant *ad solum exustus est* et paulo post *habitus fuit*; 30, 28. ubi erat *intentiores erant*. 30, 29. ex Gronovii coniectura *concepta esset*, quamquam id non de Hannibalis ratione profectum esse poterat, ut potius expectari oporteret *concepta erat:* id quod Br R T M A F librarios non fugerat, ut qui *concepta est* scribi vellent. 30, 30. *id tu hodie es*. 30, 31. *dei testes sunt*. 30, 35. et *captus est*, et *ubi omnis spes esset*, et *impetranda esse*. Simili etiam ratione corruptus est locus 30, 39., quo cum non modo ex codicum Bb P2 L Br sed etiam ex R T fide scribendum esset *pecuniam ex aerario scribae viatoresque aedilicii clam egisse per indicem dampnati sunt*, ut *per indicem egisse* idem esset quod *egisse per eundem hominem, qui postea peculatus index factus est:* vel *dampn. s. per indicem* h. e. *argumentis quibus index rem probavit:* ab Moguntina inde editione *exegisse per indicem comperti damnati sunt* scriptum invenimus. cf. Cic. pro Mil. 18, 47: „primum certe *liberatur* Milo non eo consilio *profectus esse* ut

insidiaretur Clodio.“ in Vatin. 2, 5: „codicem legisse dicebatur. *defendebatur* non recitandi causa *legisse* sed recognoscendi.“ Phil. 5, 5: „si Lysiades citatus iudex non responderit *excuseturque* Areopagites *esse.*“ — 30, 10. invitis ant. libris additum est *maxime.* Haud raro etiam in particulis scribendis ita peccatum est. nam, quamquam Livius asyndetis persaepe utitur, tamen quibusdam eius generis locis particulam *et* librarii adiiciendam putarunt: cf. 30, 21. 32, 34. al. 30, 40. scriptum est *itaque* pro *ita;* et *qui et quae petentes* 30, 38., cum scribendum esset *qui ita petentes venissent.* 30, 40. adiectum est *inde;* 30, 43. *tum* et *diu.* 30, 18. multisque aliis locis I. Fr. Gronovius sibi videbatur librariorum erratum emendasse, cum *quoque* scriberet pro *que:* quamquam ita ab Livio interdum scriptum esse ex omnium antiquorum librorum fide apparet. 30, 25. ab F inde librarii addiderunt *cum* ad *tueri potuisset,* quod eos coniunctivus plusquamperfecti eadem ratione ab Livio aliis locis positus fugerat: *„doch als die Wurfgeschosse zu Ende gingen, da hätte sie freilich nichts Anderes schützen können als“* cet. sed illos vera loci ratio prorsus praeterisse videtur, cum etiam *enim,* quod paulo post sequitur, delendum putarent. sic etiam 30, 10., ubi *ut pervium ordinem fecisset* eodem illo sensu dictum est, Rhenanus scribi voluit *faceret:* et *esset* pro *fuisset* 27, 16., ubi ita: (Hannibal) „enim vero laetus successu fraudis, si ne Fabius quidem

dolo invictus *fuisset*, haud procul Metaponto insidias ponit."

3. Nullo tamen loco recentiorum codicum librarii supplendo ea quae omissa videbantur antiquam orationem magis corruperunt, quam in propriis hominum nominibus scribendis. Iam ab initio huius libri tricesimi cum in antiquis codd. esset *Cn. Seruilius cos.*, illi scripserunt *Cn. Servilius Caepio et C. Servilius Geminus:* quamquam idem hoc loco factum erat, quod multis aliis locis, ut cum iusta novorum consulum nomina iam scripta essent, pauloque post iidem nominandi essent homines, ut non omnia denuo exhiberentur nomina; cf. ex. gr. 34, 54. 55; 41, 14; 42, 9. 10; 42, 28. 29; 43, 11. 12. sic igitur sub proximi libri finem 29, 38. scriptum erat *Cn. Servilius Caepio et C. Servilius Geminus* — ita enim ibi non tam ex Capit. fragm. quam ex eo quod in codd. manu scriptis adhuc exstat, recte scriptum esse persuasum habeo —: qua re hoc altero loco eadem nomina repeti necesse non erat: quod nemini mirum videbitur, qui arctissime inter se cohaerere Livianos libros meminerit, ut ex quarti potissimum libri initio videre licet. Quod vero in antiquioribus libris nihil invenitur nisi *Cn. Seruilius cos.*, hoc eodem pacto explicandum puto, atque alias quoque propter circumstantium similitudinem voces quasdam omissas esse vidimus: id quod hoc loco facillime fiebat, si in antiquo quodam libro

scriptum erat *Cn. Seru.* & *C. Seruilius coss.* ita autem in libris antiquissimis scriptum fuisse cum Lipsiensis ostendit, in quo est *Cornelius* & *Seruilius consules*, cum *Cornelius* pro *Cn. Seruilius* poneretur; et Palat. 3: *Cn. Seruius et Seruilius consules:* tum Harleianus, in quo *Consul Seruilius et C. Seruilius consules:* quod postremum non ex emendatione docti cuiusdam librarii, quippe qui non *consul Seruilius* scripsisset, profectum esse potest sed ex errore. Denique non abhorruisse ab Liviana dicendi ratione, si ab initio huius libri ita scriptum esset et paulo post sequeretur „*Caepioni* Brutti, *Servilio Gemino* Etruria evenit," cum alii loci docent tum 30, 19. ubi simile quid legitur: primum *patre C. Servilio et C. Lutatio,* deinde *hinc patre hinc Catulo lateri circumdatis.*

Sed quam temere interdum nomina propria ab recentioribus addita sint, inprimis 30, 41. cognosci licet: quo loco in antiquis libris recte scriptum erat *consuli l nauium classis decreta,* sed recentiores *Cornelio consuli* scripserunt, ut eos prorsus fugerit necesse sit, id modo ibi dici quod senatus decreverit, necdum sorte electum fuisse, uter consulum classem provinciam haberet, quod demum cap. 43. legitur. hanc tamen rem non modo omnes horum librorum editores adhuc praeterisse, sed ne ab ullo quidem eorum qui nostris temporibus codices antiquos descripserunt, observa-

tum esse, aliter hoc loco in antiquis atque in recentioribus libris reperiri, hoc sane mirum videatur.

4. Nec tamen ab recentioribus modo librariis Liviana oratio corrupta est, sed iam antiquissimis temporibus: quamquam difficillimum est, non tam eius generis locos reperire quam id quod verum videtur, cautis providisque hominibus probare. sed quaedam ex hoc genere menda ita comparata sunt, ut ne exercitatissimi quidem homines statuere auderent, qua potissimum ratione peccatum esset. sic iam in totius operis prooemio nemo dubitaret cum optimis codicibus omnibus scribere *facturusne sim operae pretium:* nisi Quintilianus 9, 4. 74. docuisset, Livium hexametri exordio coepisse *facturusne operae pretium sim,* idque melius videri quam quo modo emendaretur. Ex hoc genere etiam in libro tricesimo locum quendam repperimus, ubi in capite extremo de Syphacis morte agitur. cum enim Livius satis ostendisset, regem in triumpho ductum non esse, quod Tibure, quo ab Alba traductus fuerat, diem supremum haud ita multo ante obisset: in omnibus codicibus, in quibus ea pars non periit, scriptum legimus: *hunc regem in triumpho ductum Polybius haudquaquam spernendus auctor tradit.* nec Livium vera res fefellerat. sic enim etiam Appianus, quamvis diligentissime Scipionis triumphum 8, 66. describserit nec quidquam, quo

res conspectior fieret, omittere voluisse videatur, Syphacis mentionem non fecit. sed in Polybiano fragmento 16, 23. legitur: *καὶ γὰρ ὁ Σύφαξ, ὁ τῶν Μασαισυλίων βασιλεὺς, ἤχθη τότε διὰ τῆς πόλεως ἐν τῷ θριάμβῳ μετὰ τῶν αἰχμαλώτων. ὃς καὶ μετά τινα χρόνον ἐν τῇ φυλακῇ τὸν βίον μετήλλαξε.* veri simillimum igitur videtur, Polybium duas res inter se confudisse. Syphax enim Romae vinctus cum aliis Numidis captivis visus erat, qua re populum tanto gaudio affectum esse Livius 30, 17. scribit, ut supplicatio in quatriduum decerneretur: sed hoc factum erat aliquanto ante illum clarissimum Scipionis triumphum. cuius spectaculi memoria cum ex hominum animis non effluxisset, aut eos, qui Polybio harum rerum auctores erant, verum fefellerat, aut ipse hoc Cornelianae familiae, cui quam maxime addictus erat, tribui posse arbitrabatur, ut cum in rebus ipsis non magnum discrimen intercedere videretur, regem ab Scipione in triumpho ductum esse scriberet, qui ab illo victus, ut in triumpho duceretur, Romam missus esset. quae cum ita sint, mirum non videbitur, et quod in hac re Polybium Livius sequi noluit, si ipse verum magis quam ille compertum haberet: et quod sibi in hoc a Polybio dissentiendum fuisse non negavit. sed illa ipsa ratio qua id quod dicendum erat explicuit, diligentiores homines offendat necesse est. qui enim poterat idem, qui id quod pro certo

erat affirmandum, memoriae traderet, cum dissentientem a se alterum auctorem afferret, hunc ita laudare, ut eum haud spernendum h. e. maxima fide dignum auctorem diceret: nisi hac ipsa laude aut omnem sibi veri reperiendi facultatem abrogare vellet, aut illi alteri idem illud studium maligne derogare: quorum utrumque simplicis integraeque Livii personae omnino alienum erat. nec umquam Livius Polybio suam laudem invidit, ac sicubi aliam quandam atque ille rationem sequi debebat, ut 39, 52., hoc non sine gravibus causis factum esse simpliciter et libere exposuit. cum igitur in hoc extremo libro cum alia multa menda in libris manu scriptis inveniantur, tum in Palatino primo secundoque, quorum priorem haud parvae auctoritatis librum esse constat, ab nescio quo ad verba *exemplo deinde huius* media in oratione additum sit *L. Scipio Asiaticus:* sic etiam hoc loco ab docto quodam homine, cui Polybiana fides superior quam Liviana videretur, ad Polybii nomen *haudquaquam spernendus auctor* adscriptum esse putamus: quod eo facilius fiebat si ille aliis quoque locis, ut 33, 10., simile quid a Livio ipso scriptum esse meminisset. haud pauca vero quae ab hominibus doctis ita in librorum marginibus annotata erant, ab posterioribus librariis in continuam veterum scriptorum orationem relata esse, neminem harum rerum peritum fugerit.

VII. Sed non modo negligendo ea quae

scribi debebant, aut iterando supplendoque quae omittenda erant, vera Livii oratio depravata est, sed etiam ita ut pro iustis litteris aliae quae illis similes videbantur, scriberentur. quo mendo cum et in litteris vocalibus et in consonantibus scribendis totiens vel in optimis Livianis libris peccatum sit, ut nihil non ex hoc genere confundi potuisse videatur: satis erit eos locos qui nondum vere emendati videntur, hic proposuisse.

1. Litterae vocales confundebantur *a* et *u*. itaque quamvis 30, 21. in P Bb L Br *ducentū* inveniretur, tamen cum M A F scripsimus *ducenta et quinquaginta auri, octingenta pondo argenti in vestibulo curiae posuerunt,* quod loci ratio id postulare videbatur et in his ipsis numeris scribendis haud raro etiam in optimis codd. erratum erat. nam ne quis ad genitivum probandum suppleret *summam* vel tale quid, obstare videbantur cum alia tum quod in plerisque libris, in quibus *ducentum* scriptum est, tamen vel *octingenta* vel *octingentos* repertum est. eodem errore in P et Medic. 28, 38. scriptum est *argenti in aerarium tulit decem quatuor milia trecentum quadraginta duo:* sed in Bb *argenti in aerarium tulit decem quatuor milia trecenta quadraginta duo.* 33, 30. in opt. Bamb.: *quaterna millia pondo et ducentū* pro *ducenta.* 34, 10: *tulit in aerarium decem quattuor millia pondo septingentū XXXII.* pro *septingenta.* 34, 52:

tria millia septingentū decem IIII. 37, 2: *addita pedilum civium tria milium:* al. — Non minus saepe litterae *a* et *o* ab antiquis librariis confusae sunt: qua re 30, 32., ubi in Bb repertum est *prae^{c}sita,* in P_2 *prescita,* dubitandum videtur num utrumque scriptum sit pro *proīsita* h. e. *pro insita animis perfidia.*

2. Commutatae sunt etiam vocales cum consonantibus, ut *e* cum *c:* ex. gr. 30, 29. in P *eo ierunt* scriptum est pro *coierunt,* quod in Bb, utrumque autem pro *coire,* cum id pro *coiert* scriptum haberetur. Simili errato 30, 12. cum in P Bb L *praegressus Cirtam eo uocari ad conloquium principes Cirtensium iubet* scriptum esset, recentiores verum esse *euocari* voluerunt, non reputantes, nec fieri potuisse ut Cirtensium principes appropinquantibus hostibus desides domi sederent, cum urbem quanta maxima vi defendere statuissent: nec potuisse ut ad colloquendum cum Masinissa urbe egrederentur, ne in hostium potestate essent. cum illi igitur portis clausis et in muro et in suo quisque loco ut ipsi suorum res inspicere animosque ad virtutem inflammare possent, fuisse videantur, id quod vel ex eo coniici debet, quod postea etiam Masinissae videbatur necesse non modo portas sed etiam opportuna moenium praesidiis firmari: non *euocari* sed *conuocari* restituendum est, quod tum demum uno omnium consilio res agi potuisse videtur. sic etiam 28, 3.

legimus: „*misit ad portas qui ex propinquo alloquio animos temptarent.*“ quod autem *eo* vel *co* pro *con* scriptum est, id nemini mirum videbitur, cum saepe ita erratum sit, ut ex. gr. *coloquium* scriberetur pro *cōloquium* vel *conloquium:* praesertim cum *u* sequeretur, quae littera cum *n* haud raro confusa est. sic etiam 30, 10. *num* in Bb scriptum est pro *unum.*

3. Ex consonantibus huius generis permutabantur inprimis *b* et *d*. hoc pacto mirum quam saepe in praepositionibus *ab* et *ad* in Livianis libris peccatum est: quae res cum non ab omnibus librariis perspiceretur, pro *ad* aut *a* scriptum aut integrae voces omissae sunt. sic 30, 1. in P Bb scriptum est *ad natura,* pro eoque iam in L *a natura,* cum *ab natura* verum esset. 30, 27. ubi in Bb m. 1. *ad placatis diis* scriptum erat, m. 2. *ab* restitutum, in P autem tota vox omissa est. 30, 10. et in P Bb et in Medic. metathesi quadam litterarum scriptum est *haberentem* pro eo quod *adhaerentem* est: id quod eum hominem, cuius opera Med. liber emendatus est, non fugit, cum idem ibi scribi vellet. recentiores tamen re non perspecta *haerentem* scripserunt. Sic etiam non dubito, cum in eisdem optimis libris persaepe *adversus* et *advertere* scriptum sit, quamvis locorum ratio *aversus* et *avertere* postulet, quin omnibus illis locis auctore Quintiliano 12, 10. 32. antiqua manu scriptum fuerit *abversus* et *abvertere.* — Haud

raro etiam littera *l* posita est non modo pro *t*, sed etiam pro *c*. sic 30, 29. in P Bb scriptum est *aqualio* pro *aquatio*; 30, 16. *facile* pro *facite*; 30, 7. in P *attatus*, in Bb *atus*, quod in P priores *tt* deletae videbantur, utrumque pro *allatus*. hoc mendo etiam 26, 27. in P scriptum erat *seculisque*, cuius vocis loco editores alii alia scribere voluerunt, cum nihil desiderandum esset si *secutisque* restitueretur: *simul Siculis obviam egressis secutisque Romam pervenit.* Siculi enim ab consule Marcello Romam ingredi vetiti in villis inimicorum eius morati erant: sed cum comperissent, Campanis a Laevino cos. potestatem datam urbem et senatum adeundi, ipsis spes fiebat, idem etiam se ab illo altero consule et petere et impetrare posse. nec spes eos fefellerat. itaque in hac ipsa voce *secutisque* maxima orationis vis ponenda erat. quod vero recentiores ex I. F. Gronovii coniectura scripserunt *Aetolisque*, id gravibus quibusdam causis refelli alio loco docebimus: praeterquam quod ne *praeivit* quidem ferendum videtur, sed cum C. Sigonio *pervenit* scribendum pro eo quod in antiquis libris *p̄buit* est. — 30, 31. in omnibus libris antiquis scriptum est, *praecata*, eiusque loco in Br *temptata*, in R T M A F *pacata*. littera *l* cum *c* mutanda erat ut fieret: *frustra verba praelata renuntiant: „vergebens habe man den Weg gütlicher Auseinandersetzung vorziehen wollen.“* — Saepe etiam

etiam litterae *t, s, f* confundebantur. ut igitur 30, 31. in Bb *secundum iustasque* pro *ius fasque*, sic 30, 39. in Bb P2 L *intecta* pro *infecta* scriptum est, cum recentiores *indicta* statuerent: *saepe comitia infecta perfici tempestates prohibuerunt.* comitia igitur non modo indicta sed etiam haberi coepta erant; sed res ad finem perduci non potuerat. si ita scribitur, etiam hoc loco id apparebit, quod Livianae dictionis peritos non fugerit, Livium aeque ac Ciceronem verba similitudine quadam sonus sibi respondentia coniungere solere. cf. ex. gr. 3, 70: „nec traditur causa spreti aut non sperati honoris." 4, 29: „nec libet credere et licet in variis opinionibus." 5, 8: „vinci ab hoste quam vincere per civem maluit. (10, 13.) 5, 27: „ibi scelesto facinori scelestiorem sermonem addidit." 8. 38: „iam viris vires deerant. haerent impediti impedimentis nostris." 9, 9: „arma viris in arma natis auferre festinant." 21, 32: „animalia inanimaliaque." 22, 30: „plebei scitum, quo oneratus magis quam honoratus sum, primus antiquo." 24, 1: „cum pauci magis taciti probarent constantem fidem quam probatam tueri auderent:)" (Bekk. ex Walchii coni. *propalam* pro *prob.)*. 24, 38: superi infernique dei, qui hanc urbem, hos sacratos lacus lucosque colitis." 38, 40: „alibi praedo, alibi praedae vindex cadit:" al. — 30, 14. in P Bb *propter quas sibi adpetendus* pro *tibi adpetendus* scribitur: eodem pacto

30, 30. cum in P esset *omnia audacissime incipientem nusquam fefellit sua fortuna,* in Bb L *fefellit sunt fortuna,* nec pronomen ad Hannibalem sed ad unum Scipionem referendum esset, restituendum videbatur *fefellit te tua fortuna,* quod nihil facilius peccari potuit quam ut *te* inter duas litteras *t* excideret. ab recentioribus tamen tota vox temere omissa est. et cum 30, 21. in P Bb L inveniretur *necesse fuit qui d.,* nec minus temere etiam hoc *fuit* ab recentioribus omissum esset, *suis* pro *fuit* scripsimus, quod hoc pronomen inprimis aptum loco est, neque quidquam audacius videtur, quam ut integrae voces, in quibus menda quaedam librariorum deprehendi possunt, ex oratione antiqua prorsus eiiciantur. — Denique cum particulae *tum* et *tunc* aliis locis ita ut res postulat, recte scriptae, aliis inter se confusae essent, has voces non numquam emendavimus, ut corrupti integris locis responderent. sed vix dici potest, quanta veteres librarii incuria in hac re versati sint. sic 30, 13. cum scribendum esset *tunc se invasisse, tunc hospitia privata et publica foedera omnia ex animo eiecisse,* priore loco *tunc* in P Bb recte servatum est, sed altero *tum* scriptum; quamquam etiam hoc altero loco in L *tunc* repperimus. 30, 31: *si quae tunc pepigerunt,* ubi demum in Br *tunc* restitutum est, in Bb P2 L *tum* invenimus: pauloque post, ubi in F recte scriptum est *et tunc Mamer-*

tinorum sociorum periculum et nunc Sagunti excidium cet., in Bb P2 L Br R T M A reperimus *et tum Mam.* multaque alia eiusdem generis.

VIII. Saepe iusta veteris scriptoris oratio ita corrupta est, ut aut in singulis vocibus litterae parum diligenter scriptae non ita ut debebant se exciperent, aut integrorum ordo verborum immutaretur.

1. Hac litterarum metathesi 30, 17. in P Bb scriptum est *cum l. caelio,* in L *cū l. cecilio,* pro *cum C. Laelio.* 30, 14. m. 1. scriptum erat in P Bb *exceptato,* sed *c* et *p* deletis m. 2. verum restitutum est. eodem loco invenimus in P Bb *uoluntati* pro *uolutanti.* 30, 10. *ipsostremam* pro *in postremam.* 30, 31. in Bb P2 L *uiderunt* pro *uidentur.* 30, 32. in Bb *obseruabantur* pro *obuersabantur.* 30, 13. in L *ct* pro *tc* h. e. *tunc.* 30, 30. in Bb P2 L *omnibus* pro *in bonis.* 30, 12. in P Bb *certo habitu* pro *cetero; domo* pro *modo.* quod 30, 10. in P Bb repertum est *haberentem* pro *adherentem* iam supra commemoravimus.

Itaque 30, 13., ubi *tunc se insanisse* in opt. codicibus reperiri scripserunt, ex P Bb L *tunc se inuasisse* restitui oportuit, et quod illud *insanisse* iam paulo ante legebatur, hoc autem altero loco orationem frigidissimam reddebat, et quod *furorem* a Livio ad *inuasisse* relatum et *se* non pro subiecto sed pro obiecto habendum esse apparet. 30, 44. quo

loco in plerisque libris *increpatis* inventum esse dicitur et in Br *increpas* est, ex Bb et Palat. 3. *increpitas* scripsimus, cum hac oratione Hannibal inprimis Hasdrubali videatur respondere voluisse, nec raro id quod in eius generis orationibus videri potest ad plures pertinere, ad unum potissimum ab antiquis scriptoribus relatum reperiatur. Et cum interdum non modo litterarum ordo immutatus, sed etiam similes aliae pro iustis litterae positae invenirentur: 30, 18. pro *peditibus* scribere *equitibus* ausi sumus „*simul omnibus* (h. e. et praetoris et proconsulis) *equitibus, ut aversos videre elephantos, ad augendum pavorem ac tumultum effusis.*“ haec enim vox cum per se huic loco aptissima videatur, tum superiori illi loco maxime responderet, quo equestre auxilium, in quo maximum positum fuerat victoriae momentum, elephantorum impetu irritum factum esse legimus: quibus beluis a peditibus romanis partim trucidatis partim fugatis iam nihil erat, cur in summo discrimine uni equites dubium proelium excipere nollent. cum igitur in antiquis libris nostris *qui* haud raro compendio quodam scriptum et in P etiam alias *qu* cum similibus litteris confusum sit, quo mendo ex. gr. 30, 29. *longinge* pro *longinquae* scriptum est, et praeterea vox *equites* in eodem P saepe *aequites* scripta inveniatur: mirum non videbitur, si veterem librarium pro eo quod

vel *equitibus* vel *aeqitibus* erat, scripsisse *peditibus* censeamus.

2. Deinde integrarum etiam vocum, inprimis particularum ordo ab antiquis librariis negligentia quadam immutatus est. Sic 30, 8. non modo in Drak. libris sed etiam in P Bb L Br *post principes* scriptum est, cum verum esset *principes post hastatorum prima signa,* quem ad modum Polybius de eadem re memoriae tradidit. 30, 20. in P Bb L invenimus *magis quam metu fide* pro *magis metu quam fide.* 30, 15. in Bb L *sub cuius regio fide more* pro *sub cuius fide regio more.* 30, 35. in Bb L *superiores essent pugnarent,* in P2 *superiores sese pugnarent:* utrumque pro *pugnarent, superiores essent.* 30, 29. in Bb *nam et cum masinissam sex milibus* pro *nam et Masinissam cum sex milibus:* al.

Quae cum ita essent, non dubitavimus 30, 5. cum Drak. Lov. 3. 4. *alii super alios* scribere, cum id quod in P Bb L est, *super alii alios,* ferri non posset, atque hac nostra ratione apud Livium cum alias tum 30, 8. scriptum reperiretur. Simili errato 30, 10. in P Bb et m. 1. in Medic. *pulsae ad muris,* in L et m. 2. in Med. *pulsae ad muros* scriptum est: qua re *adpulsae muris* restituendum esse putavimus: quod integrum esse Rhenanum non fugit, qui *appulsae muris* scripserit. 30, 35. vera Livii oratio in uno L servata videtur „*et omnia in proelio, ante aciem, prius-*

quam excederet pugna expertus, et confessione etiam Scipionis . . omnem illam laudem adeptus:" cet. quod itidem etiam in Bb scriptum est nisi quod ibi *omnia et* pro *et omnia* reperitur. codicum P2 Br R T M A F librarii cum non viderent, hoc *et* pertinere ad illud *et confess.*, nec reputarent, persaepe Livium asyndetis simili modo uti, altero quodam *et* suppleto scripserunt *omnia et in praelio et ante aciem, priusquam* cet. nec hoc supplemento contenti recentiores Dukero auctore verum sibi videbantur restituisse, si scriberent *omnia et ante aciem et in praelio:* quamquam id dicendi genus, quod ὕστερον πρότερον vocant, apud Livium et saepe reperitur, et hoc loco etiam eo consilio adhibitum esse potest, ut in verbis *ante aciem* eadem quae *in proelio* maxima orationis vis posita esse videretur. Sed ex omnibus locis, qui hoc eodem librariorum peccato corrupti sunt, quam maxime neglectus is est, quo 30, 29. in P Bb L invenitur *maxime si hostis fiducia percussus est.* cum enim ibi particula *si,* quae iam codicis Br librario delenda videbatur, pro *set* scripta esset, quo mendo etiam 30, 26. in P Bb scriptum est *si annonae* pro *set,* ut in L recte servatum est: pro *maxime si* scribi necesse erat *set maxime,* quo restituto nihil prorsus videtur desiderandum: *Hannibal nihil quidem eorum, quae nuntiabantur, laeto animo audit*

(h. e. *audivit*, ut in Br R T M A F): *set maxime hostis fiducia . . percussus est.*

IX. Cum non modo singulae vocum partes sed etiam integra quaedam verba compendiis scribi solerent, nec semper recte illae notae a librariis explicarentur: etiam hac ratione non numquam vera oratio corrupta est.

Sic 30, 26. cum in P Bb ac sine dubio etiam in aliis integrioribus libris *quia eum sinetruria* scriptum esset, alii librarii, ut in codicibus L et Pal. 1. factum est, illud *s* delendum putaverunt, alii *res* pro eo scribendum, quod in Br R T M A F repperimus. I. Fr. Gronovius, quem recentiores secuti sunt, et ipse litteram *s* expunxit, et pro *habentem*, quod in omnibus codicibus est, *habendae* scripsit. sed *s* hoc loco nihil aliud quam *senatus* significat, quem ad modum hoc eodem loco *ex sc.* pro *ex senatus consulto* scriptum est. C. enim Servilius cos. ex sen. cons. in Etruriam ad quaestiones de principum coniurationibus habendas profectus erat: cum igitur comitiorum dies appropinquaret, senatus censuit, consulem nisi re cognita Romam non redire et comitia per dictatorem haberi. hanc enim senatus auctoritatem fuisse, cum 30, 27. „*si consulem manere ad urbem senatui placuisset*“ videre licet, tum 21, 63. 29, 19. 20. cf. etiam Sall. Cat. 29. 3. et Polyb. 6. 13. 4. et 5. Itaque cum in uno Bb etiam *tenuerit* pro *tenuerint* servatum sit, nemo repugnabit si pro vero ha-

buerimus: *quia eum senatus in Etruria tenuerit quaestiones ex sc. de coniurationibus principium habentem* cet.

Cum 30, 28. in P Bb scriptum inveniretur *ducere exercitus solitus ut aut cum soc.*, duae rationes vocis *ut* interpretandae iniri poterant, ut ea aut ex sequente voce *aut* sumpta videretur, quem ad modum 30, 14. in P Bb pro *tuas* scriptum est *tuas tu;* aut scripta videretur pro *eet,* quo compendio *esset* saepe notatum est. ex altera ratione omissum est *ut* in L, quod reprehendendum non videtur, cum Livius haud raro verbum substantivum ita omiserit: (cf. 30, 29. *quae concepta:* al.) altera ratione in Br scriptum *solitus esset,* quam rationem et ipsi secuti sumus, cum recentiores scripserint *solitus sit.*

Deinde cum persaepe syllaba *er,* interdum etiam *re,* ab antiquis librariis vel lineola simplici vel illo apostrophi signo notaretur, non dubitavimus 30, 10., ubi in omnibus manu scriptis *postquam* inventum est, *praeter quam* scribere: et quod haec vox multo potior videbatur quam *contraquam*, ut inde ab F hoc loco scriptum est, et quod *post* cum *praeter* et alias in nostris libris commutatum vidimus. nihil enim hoc mendo facilius fiebat, cum saepe pro *post* scriberetur *p'* vel *pt'*, nec minus saepe *p̄t'* pro *praeter.* sic 30, 18. in L repperimus *post spem* pro *praeter spem;* 30. 26. *p't'q̄.* pro *praeterquam;* 30, 42. in P2 *p̄t. carthagi-*

nis moenia pro *praeter Carth.* al. ad hoc accedit quod *praeterquam* etiam h. l. in Vossiani cod. margine adscriptum legitur. quem ad modum igitur *praeter consuetudinem, praeter morem* dici solebat, sic hoc loco Livius pluribus scripsit *praeter quam in navali certamine solet,* aeque ac Terentius in Heaut. 1, 1. 8. *„quod mihi videre praeter aetatem tuam facere et praeter quam res te adhortatur tua.“*

Sic videtur 30, 30. pro *inter pauca,* littera *p* negligenter omissa, in antiquiore libro *int'auca* scriptum fuisse, cum in Bb L sit *intenta*, in P2 *in tanta.* sed ibi eadem ratione iterum peccatum videtur. cum enim non modo in L Br R T M A sed etiam in plerisque Drak. libris *fuisse fertur* inveniatur, in Bb P2 vero *et* pro *fertur,* quam particulam aliis quoque locis in quibusdam Livianis libris integrorum loco verborum reperiri meminimus, nec eam unam ob causam *fertur* improbandum videatur, quod non idem in melioribus nostris codd. sit, utpote in quibus etiam alias quaedam excidisse viderimus, quae in minoris auctoritatis libris non deerant: pro *fertur* scribi *fer'tur* h. e. *ferretur* necesse putamus, quo mendo etiam 30, 30. in P2 *opterentur* scriptum est pro *opprimerentur, intra* pro *in terra,* multaque alia. Et cum in L Br eisdemque Drak. libris non *si* sed *qui si* aut *quasi,* non *dedisset* sed *abnuit,* et in Lov. 4. etiam utrumque *abnuit dedisset* scriptum sit: dubi-

tandum videtur, an integra huius loci oratio fuerit haec: *inter pauca felicitatis virtutisque exempla M. Atilius quondam in hac eadem terra fuisse ferretur, si victor pacem petentibus, quam abnuit, dedisset patribus nostris.* utut tamen res se habet, hoc quidem pro certo affirmandum videtur, verbum *ferretur* ab hoc loco non bene deesse posse: *„Auch vom M. Atilius würde man sagen, dafs er einst als ein seltenes Beispiel des Glückes und des Verdienstes in eben diesem Lande gewesen, wenn er unseren Vätern den Frieden, um den sie ihn baten, nicht verweigert hätte.“*

Deinde cum haud raro in 3. pers. plur. perf. *rt* pro *runt* poneretur, nimis saepe ita erratum est, ut id quod *rt* erat, pro *re* haberetur. itaque cum aliis locis tum 30, 45. in fine totius libri non *ere* scribendum erat, ut ab Br inde scriptum est, sed *erunt,* quod id meliores libri omnes, quamvis in verbo ipso inter se dissentientes, magno consensu postulant.

Et cum *ē* scriberetur pro *est,* *s̄* pro *sunt,* etiam in hoc interdum peccatum est, praesertim cum *ut* sequeretur. sicut igitur 30, 37. in P2 *moniti sunt* pro *monitis ut* scriptum est, sic 30, 31. ex opt. libris restituendum est *et dei testes ut qui* pro *et dei testes sunt qui,* cum etiam ad *dei* referendum sit *fatentur* vel tale quid. Simili mendo 30, 10. pro *qui si*

maturassent scriptum est in Bb *qui si matura essent,* in P *quis imitatura essent.*

Eadem ratione etiam in numeris scribendis non numquam erratum est. Nam cum numeri in antiquis libris semper fere signis vel compendiis quibusdam notarentur, nec raro in his ipsis notis describendis peccatum esset, librarii alii alia sibi videre videbantur. sic 30, 2. pro *tria milia militum* scriptum est in P ∞ ∞ ∞ *militum,* in Bb XXX *militum,* in L XXX *milia,* in Br *tria militum.* In Bb excidit *d* 30, 6. 27. 35. 36., *l* 30, 37: forsitan eam ob causam, quod hae litterae *D* et *L,* cum numeros significabant, subinde lineola quadam transmissa in P scriptae apparebant, quasi librarius eas delendas esse dicere voluisset. Quantopere 30, 35. ubi *mille et quingenti* et a Polybio et a Livio scriptum est, in plerisque libris a vero aberratum sit, iam supra pag. XII. 9. vidimus. Sic etiam dubitandum est, utrum 30, 41. *quattuordecim,* ut in Br et seqq. scriptum est, recte se habeat, an, cum in Bb *quatuor legionibus,* in P_2 XIIII *legionibus* (sicut 30, 37. in P Bb XIIII *annis)* scriptum sit, verum fuerit *decem quatuor legionibus,* quod itidem etiam 28, 38. 34, 52. in opt. quibusque libris scriptum reperitur. 30, 27. scripsimus cum T M *sedecim* pro *sexdecim,* cum in P Bb hoc quidem loco XVI, sed 30, 32. in Bb P_2 *sedecim* inveniatur: nisi forte rectius est *sedecem,* ut in cod. Laureshamensi

42, 21. scriptum esse dicitur: quo eodem pacto etiam *septem decem* 24, 49. 25, 5. in opt. libris scriptum est. Hanc etiam ob causam dubitari posset, an 30, 10., quo loco *sex ferme* in antiquis libris est, et Conr. Heusingerus aliique de longe maiore numero cogitarunt, an ibi igitur *se x* h. e. *sedecem ferme onerariae puppibus abstractae Karthaginem sunt* (ut 30, 44. in Bb scriptum est *septimo x anno)* integrum esset: nisi idem sex navium numerus apud Appianum 8, 30. exhiberetur: quamquam non sine causa dici potest, illo loco aliam quandam rem Appiano in mente fuisse, cum id quod Livius 30, 10. refert, potius 8, 24. apud Appianum legatur.

Quae cum ita sint, non multum repugnabimus, si quis 30, 37., quo *centum obsides* a Carthaginiensibus petitos esse traditur, in numero *c* peccatum esse contenderit. sic enim C. Sigonius *CL* scribi voluit, quod ita et apud App. 8, 54. esset, et apud Livium 32, 2. legeretur „*centum* redditi obsides: *de ceteris*“ cet. nam quod in fragm. Polyb. 15, 18. 8. idem qui apud Livium numerus reperitur, id in hac re non maximi momenti erit, cum etiam apud Polyb. in hoc numero mendum esse possit, ut simili modo aliis locis peccatum est. sed ne id quidem, quod Sigonio verum videbatur, probari potest, cum 40, 34. apud Livium ita reperiatur: „*Carthaginiensibus eodem anno centum obsides redditi, pacemque tum iis populus*

rom. non ab se tantum sed ab rege etiam Masinissa praestitit.“ cum igitur in antiquis libris, ubi plura *c* aut *x* scribenda erant, haud raro ita erratum viderimus, ut uno signo modo plus modo minus scriberetur, cumque 32, 2. centum obsides Carthaginiensibus redditos esse, idemque iterum 40, 34. factum esse traditum sit, nec ulli deinde apud Romanos Carthaginiensium obsides ex illo tempore fuisse videantur: non *C,* nec *CL,* sed *„obsides CC arbitratu Scipionis darent“* 30, 37. scriptum fuisse persuasum habeo.

X. In nominibus propriis et hominum et locorum scribendis cum saepe ab recentiorum potissimum codicum librariis erratum esset, et principes editiones ex recentissimis libris maximam partem descriptae essent, haud pauca eius generis menda etiam nunc in hoc libro tricesimo reperta sunt.

1. *Hannibal* scripsimus ex P Bb L: sed iam in Br persaepe *Annibal* invenitur; quae scribendi ratio 30, 37., cum etiam in P esset, retinenda videbatur. ab Romana inde edit. usque ad Drakenborchium semper *Annibal* scriptum est. sic etiam in Bb repperimus 29, 1: *ab Annibale;* 27, 5: *Asdrubalem;* 28, 30. 29, 29: *Anno;* 24, 10: *Adriae;* 28, 30: *Aderbalem;* 24, 24: *ab Armoniae nuptiis.* contra 31, 47: *Hagesimbrotus;* 24, 36: *Panhormi.* — Utrum *Syphax* an *Siphax* scribendum sit, non videtur dubitandum, quod hoc nomen in P Bb

semper littera *y* scribitur, nec in L Br *Siphax* nisi perraro invenitur. in altero tamen Bamb. 37, 25. *Siphacis* legimus. sed an *Sypax* scribendum esset, valde dubitavimus, cum non modo in Bb 30, 4. *sypaci* et 30, 7. manu priore *sypax* — nam m. 2. littera *h* suprascripta est — sed etiam in P 30, 17. *sypacem*, 30, 11. *sypax* — quamquam m. 2. *h* pro *a* scriptum est — et 30, 16. nomine *syphacis*, ut ab initio scriptum erat, deleto in continua oratione *sypacis* scriptum reperiretur. cum autem in P 30, 30. etiam *apricae* pro *Africae* scriptum esset, in illo nomine quidquam mutare ausi non sumus. Dubium etiam videatur, utrum Livius *Masinissa*, ut semper in P scriptum videtur, an Polybianum Μασσανάσσης secutus *Massinissa* scripserit. ita enim fere hoc nomen in L Br, non numquam etiam in Bb scriptum est. in R A F invenimus *Masanissa*. — Nomen uxoris Syphacis ex P Bb restitui oportuit. quamquam enim 30, 12. ubi hoc nomen primo legitur, in P scriptum ab initio erat *Sophonibusa*, sed ita ut *us* iam priore manu deleretur, postea semper in P Bb *Sophoniba* reperitur. in L invenimus *Sophonia*, et ab Br inde *Sophonisba*. *Sophoniba* autem recte scribi, etiam ex Appiano, qui Livium potissimum secutus est, videre licet. sed quamquam apud eum maxime librorum manu scriptorum consensu 8, 27. seqq. Σοφονίβα (Vat. Σοφωνίβα) invenitur, tamen iam in prin-

cipibus edd. Σοφονίσβα, nimirum ab eis qui Appianum ex Livio emendandum censuerunt, statutum est. in Polybianis fragmentis hoc nomen nusquam legi: et I. Fr. Gronovium ceterosque editores hoc recentiorum librariorum sive mendum sive fraus videtur prorsus fugisse. — 30, 38. scripsimus ex Bb P2 *ad aedem Erucinae Veneris,* cum in L *Ericine,* et ab Br inde *Erycinae* scriptum esset. — 30, 39. ex Bb P2 L restituimus *Cerialia ludos:* nam ab Br inde *Cerealia ludos,* in M A etiam *Cereales ludos* invenitur. — 30, 25. legatorum ab Scipione Carthaginem missorum nomina ita scripsimus, ut in omnibus Livianis manu scriptis et antiq. edd. inveniuntur *L. Baebium M. Servilium L. Fabium:* etsi non sine aliqua causa Is. Casaubonus videri potest pro *Marco* ex Polybio scripsisse *Lucium Servilium.* sed quoniam 15, 1. 3. Polybiani codd. in his ipsis nominibus multum inter se discrepant, ambigua res videbitur, si quis ut Gronovius Livium ex Polybio, ac ne ex ipso quidem Polybio sed ex coniectura de vera Polybii oratione emendare velit. praeterquam quod uterque scriptor suos auctores secutus esse potest, etiam Polybianus vel Σερούιος vel Σερούκιος, ut in cod. Med. scribitur, ab Liviano *Servilius* multo minus abesse videtur quam Gronovianus Σέργιος et *Sergius.* — 30, 45. scripsimus ex Bb P2 *Polibius,* cum ab Br inde *Polybius* scriptum esset. ita repperimus in

Bamb. 34, 25. 30. 32. etiam *Pithagoras;* 32, 15. 16: et *Corcyra* et *Corcira;* 35, 13: *Aegipti* et *Aegypti;* 33, 18. 35, 16: *Zmurna* et *Zmirna:* al. Eodem capite ex Bb P2 Br R T M A F restituimus *Syllae* pro *Sullae,* cum id quod C. L. Schneiderus p. 47. de hoc nomen scribendi ratione dixit, non semper antiquioribus manu scriptis probari videretur, in quibus et Ciceronianis et Livianis plerumque *Sylla* scriptum legimus. — 30, 33: scripsimus ex Bb R T M A F *Balearibus* pro *Baliaribus,* cum etiam in P2 *ualearibus,* in L Br *ballearibus* esset. utraque tamen huius nominis scribendi ratio in antiq. codd. Livianis reperitur, ut sua cuique loco servanda sit: *Baliaris* igitur, ut apud Polybium 15, 11. Βαλιαρεῖς, 27, 20. 28, 37., et *pugna Balearium* 28, 15. scribi oportet. — 30, 11. ex T scripsimus *Massuli, regnum paternum Masinissae,* quamquam dubium videbatur, num Livius in hoc Graecorum Μασσύλιοι (cf. App. 8, 17. 8, 10.) vere secutus esset. nam in P Bb invenitur *Masaesuli,* in quo duae scribendi rationes coniunctae videantur, et *Massuli* et *Maesuli.* sic enim etiam 29, 31. in opt. libris reperitur, et *Mesuliorum* et *Maessulios.* Sed alterum illud nomen quod eodem loco legitur, videbatur ex P Bb recte restitui posse: primo *Masaesuliorum,* cum in L *Massesulorum,* in M A F *Masaesulorum* esset; deinde ex P Bb M A F *Masaesuli* h. e. *Masaesulii* pro *Masaesyli,* cum

cum in L *Massesuli*, in R *Massesulii* esset. sic enim apud Polybium 16, 23: Σύφαξ ὁ τῶν Μασαισυλίων βασιλεύς. nam quod 3, 33. 15. in edd. Μασσαισυλίων invenitur, hoc emendate scribendum videtur Μασαισυλίων pro eo quod in manu scriptis Μασσαιλίων est. nec parvam utrique nomini lucem affert Eustathius, qui cum apud Dionys. Perieg. v. 187. legeretur ἔνθα Μασαισύλιοί τε καὶ ἀγρόνομοι Μασυλῆες, Polybium non Μασυλεῖς sed Μασουλεῖς scripsisse doceat.

2. *Africa, Afri* scripsimus ex P, quamquam in L Br, interdum etiam in utroque Bb *Affrica, Affri, Affricanus* scriptum est. — *Carthago* et *Carthaginienses* in P Bb reperitur, uno loco excepto, ubi 30, 10. in P scriptum est *Karthago*. sic 33, 45. in Bamb. *Karthaginiensi*. in L R A invenimus plerumque *Carthaginenses*, in Br etiam *Cartaginenses*. — *Etruria* ex opt. libris scripsi. in M A F scriptum est *Hetruria*. In L interdum et *hyspania* et *yspania* aeque atque *ytalia* invenitur. in alt. Bamb. 31, 50. etiam *ispaniam* legimus. Ex P restituimus 30, 2. *Sardiae* pro *Sardiniae*, et 30, 38. *Sardiaque* ex Bb, quod Livius graecos scriptores secutus non modo *Sardinia* sed etiam *Sardia* scripsisse videtur. — *Rusucmona* 30, 10. cum P Bb et Medic. scribendum fuit. — *Tynes* restituimus 30, 9. ex P Bb, ceterisque locis omnibus vel ex P vel ex P2. 30, 16. invenimus in Bb L Br *ti-*

neta, in edd. *Tuneta*; 30, 36. in Bb *tinetem*, in L *tinetam*, in Br *tuneta*, in R et seqq. usque ad Gron. *Tunetem*. — *Hadrumetum* scripsimus 30, 29. ex P Bb, cum in L *hasdrumetum*, in Br *adrumetum*, in R T A *Adrumentum* esset. 30, 35. etiam in P_2 *adrumetum* reperitur, cum alias in hoc libro semper *hadr.* scriptum sit. — 30, 45. scripsimus pro *Lilyb.* ex Bb P_2 Br *Lilibaeum*, quem ad modum etiam 27, 5. in opt. libris reperitur. — 30, 19. restituimus *Tannetum* ex P Bb L; eodemque loco *Aufugum*, *Bergae*, *Ocriculum*, *Lymphaeum* ex P Bb. — 30, 39. scripsimus ex Bb L *Cusanum Loretanumque*, cum etiam in P_2 esset *casanum loretanumque*: nisi forte pro *Loret.*, qui portus apud antiquos scriptores nusquam reperitur, *Telamoniumque* (cf. Plin. h. n. 3, 5. 8.) emendandum est. Eodem capite restituendum videbatur *Populoniō* vel *Populonium*, cuius loco ab Br inde *Populonios* scriptum erat. cum enim hic unus locus esset, quo *Populonii* scriptum est — nam non modo apud Plin. h. n. 3, 5. 8. *Populonium* legitur, sed etiam ap. Strab. 5, 2. Ποπλώνιον — cumque ibi in Bb P_2 L *populonio* inveniretur, et *inde* sequeretur, non *s* sed *m* excidisse videbatur. sic scriptum est ex. gr. 30, 40. in L *ĩposito ĩgenti* pro *impositum ingenti*; 30, 42. in Bb P_2 *commemoratio* pro *commemorantium*; 30, 30. in P *spatio* pro *spatium*, al. — *Trasumennum* scripsimus 30, 20. 30., quod ita

hoc nomen in antiquioribus libris semper repperimus. — 30, 25. scribendum videtur *Bagardam* ex L et Drak. Vossiano, Harl., Lov. 1. 3., quamvis in P Bb sit *Bagradam:* nam etiam in his optimis libris litterarum metathesi interdum peccatum esse supra vidimus. apud Polybium 15, 2. 8. ubi de eisdem rebus refertur, invenimus quidem ἐὰν παραλλάξωσι τὸν Μάκραν ποταμόν· sed cum apud eundem scriptorem et 1, 75. 5., ubi eiusdem fluminis mentio fit, scriptum sit τοῦ προσαγορευομένου Μακάρα (al. Μάκαρα al. Μάκαρος) ποταμοῦ διείργοντος, et 1, 86. 9. καὶ παρελθὼν ἐπὶ τὸν Μάκαραν (al. Μάκαρα), etiam tertio illo loco pro Μάκραν scribendum esse puto Μάκαραν: nec commutandum Βακάρα cum Μακάρα et Μάκαραν, quem ad modum Suida auctore, qui ex Polybio Βουκάρας τοῦ Βουκάρα laudat, I. Schweighaeuserus scripsit. cum enim litterae *b* et *m* persaepe ita confusae sint, Polybianum Μακάρα aeque recte se habere videtur atque Livianum *Bagardas.* nam si apud Strabonem 17, 3. in melioribus libris, quod mihi compertum non est, vere reperitur ὁ Βαγράδας ποταμός, in hoc quoque nomine idem mendum factum esse potest, quod in Sophonibae nomine apud Appianum factum deprehendimus: praesertim cum nihil hac ipsa metathesi frequentius sit, qua vel in bonis libris etiam *Brachina* interdum cum *Barchina* commutatum est. sed apud Strabonem etiam

in aliis nominibus levem quandam discrepantiam repperimus, ex. gr. in nomine urbis Tynetis, quod apud Polybium et Livium *Tynes* scribitur, apud Strabonem Τύνις. cum igitur *Bagardas* non modo cum Polybiano Μακάρας quam maxime congruat — nam syllaba suffixa ad nomen ipsum mutandum valuisse non videtur — sed etiam cum recentiore eiusdem fluminis nomine *Mejerdah:* nihil dubitamus quin apud Livium *Bagardam* pro unice vero habendum sit. — 30, 22. restituimus ex P Bb R *Hiberum* pro *Iberum.* in L est *hyberum.* Cf. Schneider. lat. Gr. p. 194.

Sed haec hactenus. Quod deinde ad reliquos locos, in quibus etiam ab recentissimis editionibus recedendum videbatur, pertinet, in universum dixisse sufficiat, nos quanta maxima fide codicum P Bb auctoritatem secutos esse, modo ne quid scriberetur, in quo aut singulorum locorum aut eius latini sermonis, qui apud optimos quosque scriptores viget, ratio habita non esset, quo ex genere, exceptis eis locis corruptis de quibus locuti sumus, nihil fere in his praeclaris libris deprehendimus. Sed in hoc studio quam maxime id observandum videbatur, cum suum cuique non modo ingenium sed etiam dicendi genus esset, ne et ipsi Livianam orationem ex aliis quibusdam scriptoribus emendandam putaremus, si quid apud eos melius quam apud Livium dictum explicatumve videretur, quo pravo stu-

dio inprimis quorundam latinorum poetarum libri pessum dati sunt; neve in rebus grammaticis quidquam prorsus improbaretur atque etiam deleretur, quod cum vulgato sermone soluto non omni ex parte congrueret. cum enim haud ignoraremus, iam antiquis temporibus Patavinitatem quandam in his T. Livii annalibus ab severioribus harum rerum iudicibus animadversam et reprehensam esse, nec illam in singulari quodam antiquarum rerum studio nec in illa lactea ubertate qua singulae res explicatae sunt, nec in scribendi genere ab politioribus quibusdam Romanis scriptoribus non numquam abhorrente, sed in his omnibus rebus coniunctis positam esse putaremus, cumque apud Quintilianum nec voces *sibe quase* ab Livio repudiatas esse legeremus: quam cautissime ac diligentissime in edendis his annalibus versari debere editores persuasum habebamus. Hoc non dixissemus, quoniam nostro potissimum tempore nemini non hanc nostram rationem probatam fore putabamus, nisi vel in Bekkeriana editione quaedam, ab I. Fr. Gronovio aliisque paulo inconsultius dicta, — id quod in tanta rerum emendandarum copia Gronovio doctissimo et de Livio melius quam quisquam merito facillime evenire poterat — non modo ita relata quasi maximam veri speciem praeberent, sed etiam in continua veteris scriptoris oratione tamquam haud dubitanda atque integerrima collocata vidissemus. quid enim,

cum 30, 5. legeretur *„et trepidatio quidem, quanta necesse erat, in nocturno effuso tam late incendio orta est,“* nec quidquam de recentiorum annotationibus nisi quod maximi esset momenti, referri statutum esset, quid ibi igitur dicere referebat, Gronovium scribi voluisse *quantam*, cum *quanta necesse erat* scil. *oriretur* rectissime se haberet. multo aptius fuerat, si paulo post illum locum in cap. 6. ad verba *primo veluti sparsa* dictum esset, non *sparsa* sed *sparso* in omnibus melioribus libris reperiri nec id Gronovio improbari, utpote quae vox non perinde atque *effusa* ad *flamma* pertineret sed ad *incendio*. ex hoc enim Livianae dictionis studiosi perspicere potuissent, quam audacter interdum a Livio orationis partes inter se connecterentur, non secus atque in cap. 8., quo loco cum *„primo in tumulo quattuor milia ferme distante ab castris regiis consedit: postero die“* scriptum esset, non esse coniungenda *primo in tumulo* sed *die* quod sequitur etiam ad *primo* referendum esse, cum Liviana dicendi ratio docet, tum simillime de eadem re apud Polybium (14, 8, 2 et 3.) scriptus locus. Sic 30, 2. non cum Crevierio *ne qua* sed cum antiquis libris omnibus *antequam classis ex Africa traiceret* scribendum putavi, quod toto illo loco Livium non id dicere voluisse apparet, Carthaginienses omnino nullam classem missuros fuisse, si Sicilia XL navibus custodiretur, sed

tum futurum fuisse, ut classe non Siciliam peterent sed quidquid praeterea nudatum praesidiis esset. 30, 44. ex opt. libris tandem restitui oportuit *„necesse est in vos odio vestro consultum ab Romanis credatis“* h. e. necesse est credatis, Romanos, cum vobis externis interdicerent bellis, consulere voluisse odio vestro in vosmet ipsos: *seid überzeugt, daſs die Römer bei diesem ihrem Verfahren nichts Anderes bezweckten, als daſs ihr von nun an eure Erbitterung gegenseitig auf euch selbst richten müſstet:* de cuius loci ratione in libello, cuius pag. XIII. 7. mentio facta est, pluribus scripsimus. 30, 25. non *subterlabentem* sed ex opt. libris *superlabentem „daran vorbei schlüpfend“* scribendum censui, non tam quod *supervehi* haud raro apud Livium positum legitur, quam quod fieri omnino non potuisse videtur, ut Romana navis hostium quadriremibus multo altior subter humiliores ita subterlaberetur. 30, 17. in uno P recte scriptum repperimus *„P. Aelius praetor senatu misso cum C. Laelio in rostra descendit“* pro *escendit:* cum enim senatus in Capitolio habitus esset, *descendere* illi non *escendere* in forum et in rostra debebant. Inprimis autem adhibenda fuit magna diligentia in eis locis, ubi Livius quadam verborum immutatione usus est, ne id quod scriptori in mente fuisset, prorsus praetermitteretur. sic igitur *si te tua voluntate cedentem Italiae aspernarer*

30, 31. in Bb P2 recte scriptum putavimus, cum Livius non *cedentem Italia „aus Italien fortgehend“* dicere voluisse videretur, sed ut hoc idem esset quod *si ille se Romanis inferiorem habuisset.* Eodem loco ex opt. libris *cum prope manu consertum restitantem in Africam adtraxerim* scripsi, quod Livius *manu consertum* eodem sensu videtur dixisse, quo Cicero cum in orat. p. Mur. 14. 30. tum in I. libro de orat. 10. 41. scripsit, de cuius rei interpretatione A. Gellius 20, 10. disserit: hoc igitur loco est *„nachdem ich dich nach Africa gezogen, um gleichsam persönlich mit dir an Ort und Stelle über die Herrschaft zu streiten.“* Al.

In extrema iam parte huius commentationis cetera, quae ad res grammaticas pertinentia ab librariis non semper recte perspecta sunt, paucis absolvemus. Inter quae id primum videtur dicendum, et in nominibus et in verbis duas illas litteras *i,* quae in genitivo sing. et in nominativo plur. sec. declinationis, in ablativo plur. et primae et alterius decl., quae deinde in pronominibus quibusdam, nec non in 1. et 3. pers. sing. perfecti act. eorum verborum, quae media littera *v* deleta in *ii* et *iit* exibant, inveniuntur, ex magno et optimorum et antiquissimorum Liv. codd. consensu multo saepius in unum *i* contrahi solere, quam adhuc cognitum descriptumve videtur. Quae res cum in codicibus P Bb P2, quorum libra-

rii sua quisque ratione id quod a prioribus librariis peccatum videbatur, quibusdam locis emendare veriti non sunt, aeque atque a codicis L librario, quem tum fere *ij* scripsisse supra diximus, semper diligentissime observata videatur: facere non possumus, quin integerrimam veteris scriptoris manum in eo ipso reperiri persuasum habeamus: praesertim cum idem non modo in utroque Bamb. libro ac sine dubio etiam in reliquis libris Liv. antiquioribus — quantum quidem ex paucis illis locis, quibus editores nec ipsi talium rerum mentionem facere dedignati sunt, cognoscere licet — sed etiam in integrioribus Ciceronis aliorumque veterum scriptorum codicibus reperiatur. Hac re probata illud alterum sequatur necesse videbitur, non ubivis orationem ita emendandam esse, sed quocunque loco illi optimi libri id postulant. quo tamen loco hoc unum *i* in antiquis libris non est repertum, ut 30, 44., ubi in Bb P2 *Cornelii* scriptum est, non ausi sumus quidquam mutare, quamvis l. l. in L *Cornelij* esset, idemque genitivus *Corneli* in altero Bamb. saepe legeretur. *T. Livi* tamen in hujus libri titulo scripsimus, quamquam in Bb 27, 47. *M. Liuii* est, cum in eodem libro 28, 9. *M. Liui* scriptum sit, et in singularum chartarum titulis codicis Puteanei, et in finibus singulorum librorum codicis Bamb. l. 31—38. complectentis — excepto libro 35., ubi nullum auctoris

nomen additum est — *Titi Livi* reperiatur. Adiectivorum tamen eius generis genitivos uno *i* terminatos in hoc libro XXX non repperimus, nisi in vocibus ab nominibus propriis ductis, ut 30, 20. in P *in oppida Brutti agri,* id quod etiam 26, 41. in Bb scriptum est. sic etiam 24, 21. in Bb *Olympi Iouis* legimus, 28, 7: *Corinti sinus.* nam 30, 1. in una Tarvis. ed. scriptum est *iuris pontifici;* et 30, 12. ubi in P Bb et in Med. m. 1. *apud ignaros regi casus,* et in L *regis* est, in Med. m. alt. haud scio an recte emendatum est *regii.* sic enim *regis* pro *regiis* etiam 29, 32. 36, 17. 19. 37, 16. 19. scriptum est. — Scribi igitur oportuit 30, 1: *provincis* et *Brutti* (nom.). cap. 5: *angustis* (24, 16.). c. 8: *praesidis.* c. 13. 27: *dis.* c. 14: *egregis.* c. 15: *eximis.* c. 18: *subsidis.* c. 24: *imperi.* c. 26: *victoris* et *plebei* (nom.). c. 30. 33: *di.* c. 28: *tumultuaris.* c. 34: *spati.* c. 41: *Bruttis.* — c. 4: *nulli ali* (dat.). c. 7: *isdem* (item 24, 14. 42. 48. 25, 16. 27, 17. 22. 45. al.). c. 8: *ali* (nom. ut 24, 9. 34, 18.). c. 16: *alis.* c. 27: *is* (25, 5. 16. 26, 11.). — c. 29: *audit.* c. 30: *peti:* (sic in Bb 25, 19: *abit* et *redit.* 28, 17; 36, 35. 43; 37, 60: *redit.* 36, 42: *adit.* 31, 29; 37, 45; 35, 31. 32: *petit* scriptum est, cum in recc. edd. sit *abiit* cet. 30, 30: *adpetimus* pro praesenti habendum videtur, quasi dictum sit *adpetere solemus;* quo pacto etiam 30, 31: *lacessere* interpretandum est.

Substantiva verbalia cum a Livio saepe ad sec. declinationem formata sint, opt. librorum fidem secuti 30, 23. *responso*, 30, 24. *curso* scripsimus. Cum *cornum* aeque ac *cornu* in opt. libris inveniatur (32, 30. et ter 36, 44.): et 30, 8. in P Bb sit *utraque cornu*, nec probandum sit *utroque cornu:* dubitandum videtur, an Livius *utraque corna* scripserit. — 30, 17. ex P scribi oportuit *senatos;* ex Bb 30, 13. *domom* et 30, 36. *regulos.* sic etiam 30, 17. ex P *com;* 30, 30. ex Bb *simol.* — 30, 2. restituimus *iocineris* ex P Bb L (sic enim etiam Priscianus 6, 10. 52: „*iecur, iecoris* vel *iocineris* a nominativo *iocinus,* qui in usu non est:"); 30, 37. *in tali tempere* ex P Bb R: qua re valde dubitandum est, utrum id quod in quibusdam manu scriptis *tempis, i, e* est, ut in Cic. cod. Erfurt., pro *temporis, ri, re*, an pro *temperis, ri, re* habendum sit: quae altera ratio etiam adv. *temperi* probari videtur. Et cum Livium in abl. 3. decl. saepe *i* pro *e* usum esse constaret, scripsimus 30, 22. ex Bb *parti;* 30, 28. ex P *Hannibali;* 30, 34. ex Bb P_2 L *umboni;* 30, 45. ex Bb P_2 *Tiburi.* — Accusativum in *is* in P Bb P_2 semper fere ibi positum vidimus, ubi poni poterat, inprimis in adiectivis et participiis: idemque cum etiam in altero Bamb. reperiatur, non dubitandum videtur, quin in Medic. quoque libris scriptus sit. — 30, 18. cum P Bb *in agro Insubrum* scripsi-

mus: sic enim etiam 32, 7. 32, 30. in Bb legitur. 4, 7. in opt. Med. *Ardeatum* est; 33, 7. in Bb *tuentum:* al. contra tamen 30, 26. ex P, 30, 34. ex L scribi necesse erat *principium;* 30, 36. ex P2 *supplicium.* — 30, 27. *si senatu placuisset* verum videbatur, cum in P *senatum,* in Bb L *senatū* esset. sic enim 26, 2. in opt. libris legitur et ap. Tac. Ann. 1, 10. — Nomina collectiva apud Livium saepe cum pluralibus coniuncta legi notum est (cf. 30, 13. *sequebantur grex nobilium Numidarum):* ut igitur 30, 9. ad *classem* relatum est *oppressuros,* sic scriptum in P Bb L 30, 19. *a classe Romana, quae circa Sardiniam erant:* haud multo audacius quam *turba circumfusi fremebant.* — Sicut nominativus haud raro a Livio absolute positus est (30, 3: *pars maior, maxima):* sic 30, 25. poetarum more accus. librorum P L fide scriptus est *multitudo litus effusa.* Singulari etiam ratione genitivum non numquam apud Livium positum vidimus, ut 30, 45: *Africani cognomen militaris prius favor an popularis aurae celebraverit* cet. — *aurae* enim in Bb Br legitur —: ubi *favor popularis aurae* non aliter dictum est, atque 22, 26.: „iuvenis iam ad consulatus spem cum attolleret animos, haud parum callide *auram favoris popularis* ex dictatoria invidia petiit." cf. etiam Hor. 3, 2. 20: *arbitrium popularis aurae.* 30, 8. ad *Carthaginiensium* supplendum videtur *equitibus* vel *equitatu,* quod an-

tecedit: quem ad modum etiam 30, 33. *Carthaginiensis* scil. *equitatus* restitui debuit. 30, 26. cum P scripsimus *unum hominum nobis cunctando rem restituisse:* ut id quod apud Ennium *unus homo* est, maiore etiam vi dictum videretur.

Quod ad nomina adiectiva attinet, etiam in his quaedam memoratu digna repperimus. nam non modo 30, 6. pro *semiermes* in P scriptum est *semermes*, 30, 15. in P Bb *eburno* pro *eburneo:* sed etiam 30, 24. in P *relicuum anni*, cum in Bb 33, 2. *relicum* sit (cf. Schneid. p. 591.); 30, 33. in Bb P2 L *ancipia tela* pro *ancipitia* (cf. Struve Lat. Decl. & Coni. p. 21.). sic 30, 34. ex Bb restituendum videbatur *deficilior transitus* pro *difficilior*; 30, 26. ex Bb *clivus Puplicius* pro *Publicius:* (38, 45. in Bb *puplicum*). 30, 40. cum in Bb esset *iniqū*, in P2 *cū iniquum*, et in hoc altero duas scribendi rationes coniunctas esse appareret, *inicum* restituimus: hac enim ratione 28, 29. in opt. libris *inicius* legitur pro *iniquius*, et ap. Cic. pro Clu. 71. 202. meliorum libr. fide *tam inicus*. 30, 44. in Bb ne *intempestivis* quidem repudiandum videbatur, non tam quod ap. Gellium 4, 20. *intempestiviter* legitur, quam quod extrema huius Bamb. libri pars tanta praestantia est, ut nihil quod ibi invenitur, parvi habendum sit. sic etiam 30, 42. *exopsoleta* aeque atque *excensis (ausgebrannt) castris* 30, 7. integrum vi-

detur, cum apud Livium verba cum *ex* coniuncta frequentissima legantur. 30, 20. restituimus pro *alia re* ex P Bb L *aliena re* h. e. quae ad se non pertineret: cuius rei ruina non ipsum quoque exstingui necesse esset. Quod in melioribus libris *maritumus, decumus, incolomis* similiaque alia scripta reperiuntur, nemini mirum videbitur: sic etiam 30, 2. ex P *lucusta* pro *locusta,* 30, 21. ex P Bb *victumae*, 30, 24. 25. *promunturium*, 30, 30. ex P *adulescentiam,* 30, 23. *existumare* restituendum videbatur. — Deinde cum Livius adiectivorum quorundam comparativis singulari ratione usus sit, non dubitavimus 30, 26. cum Bb Br R T M A pluribusque Drak. scribere: *sicut dubites, utrum ingenio cunctatior fuerit an quia ita bello . . aptum erat:* sic enim paulo ante scriptum erat *cautior tamen quam promptior hic habitus;* et apud Plinium ep. 2, 16: „si verendum esset ne quod ego dedissem, populus eriperet, *cunctatior* fortasse et *cautior* esse deberem.“ nam quod in Voss. cod. Liv. reperitur *cunctantior* non magis mihi probatur quam eadem emendatio ap. Plin. in ed. Rom. cf. 1, 18: incorruptius. 1, 49: contemptior. 1, 56: ignotiora. 2, 3: solutior. 2, 47: cumulatior. 2, 54: suspectior. 2, 60: placatior. 3, 2: inclinatior. 3, 3: impeditior. 3, 5: effusior. 3, 32: quietior. intentius. 3, 63: celebratior. 3, 68: auctior. 3, 69: acceptior. 4, 4: insignitior. 4, 36: excitatior. 4, 45: consideratius. 4, 46: impensius.

6, 14: commotioris. 6, 15: conspectior. 6, 21: paratior. 7, 4: infacundior. 9, 6: abiectioris. 9, 19: distinctior. 9, 26: latior. 9, 27: confertiores. 9, 28: apertior. 9, 40: cuneatior. 10, 5: concitatior. 21, 10: perseverantius. 22, 18: assuetior. 22, 24: consultius. 22, 39: constantiores. 23, 46: inclinatior. 25, 36: editiorem. 28, 25: insanabilius. 28, 30: tenacior. 34, 9: retractior. 34, 25: incautior. 36, 17: inexsuperabilior. 38, 34: obedientius. 38, 47: pacatiora. 39, 53: inflatior. 42, 14: intemperantius. — Denique 30, 33. non *asperrimis* sed *asperumis* scripsimus, cum in Bb *asperum his* esset littera *h* aeque ac 30, 38. in Bb P2 *cū his (Cumis)* interposita. ne tamen dubitemus, an in Bb *asperum* una littera *r* scriptum sit, quod vocis ratio librarium fefellerit, prohibent libri P2 Br, in quorum priore *aspimis,* in altero *asperimis* reperitur.

De numeralibus quibusdam nominibus iam supra occasione data diximus. Praetereundum tamen non est, in P multo saepius *millia* scribi quam *milia,* in Bb saepius *milia* quam *millia.* quo igitur loco et in P et in Bb *millia* scriptum erat, ut bis 30, 17., ibi et ipsi itidem scripsimus. sic etiam 30, 28. cum P Bb scripsimus *milliens,* quamquam in Bb litterae *l* et *n* haud scio an altera manu expunctae sunt, ut *milies* fieret. 28, 6. in Bb *mile* repperimus. 30, 17. restituimus ex P R, 30, 27. ex P Bb *quadriduum:* ita enim non modo

in altero Bb 32, 31. 34, 37. 37, 38. sed etiam in melioribus libris Ciceronianis scriptum legimus.

In pronominibus quoque scribendis cum libros P Bb inprimis sequendos esse censeremus, interdum ab recentiorum librariorum ratione prorsus recedendum erat. cum enim in eo potissimum versetur omnis res critica, ut id quod antiquis temporibus scriptum est, quam integerrimum servetur: laude dignus videri non potest, qui eas res quae ipsorum veterum scriptorum fide non admodum inter se distingui solebant, ex recentiorum quorundam hominum praeceptis subtiliter discernere et seiungere voluerit. hoc pertinet inprimis ad litteras *d* et *t* in verborum quorundam fine sine ullo discrimine positas. quod enim Quintilianus 1, 7. 5. de differentia vocum *ad* et *at*, *cum* et *quum*, al. dicit, aliis aliam scribendi rationem probari, id antiquis temporibus ad multo plura verba pertinuisse videtur. itaque 30, 17. ex P scripsimus *quidquid aliut*, 30, 18. 19. aliisque locis ex P Bb *aliquod*, 30, 28. al. *quod*, quamquam in rec. libris *aliud*, *aliquot*, *quot*, scribitur. Et cum etiam in antiquissimis libris non nomina modo sed verba quaedam in 3. pers. sing. non in *t* sed in *d* exeuntia repperissem, non dubitavimus 30, 12. *sinad* pro *sinat*, 30, 15. 16. 20. 37. 42. *inquid* pro *inquit* restituere, et 30, 2. 12. *capud* pro *caput*. haec etiam erat causa, quod 30, 13. 17. 25. cum

P

P *adque* pro *atque*, 30, 16. *at* pro *ad*, 30, 28. *aput*, multisque aliis locis *haut*, *velud*, *set*, nusquam tamen invitis libris antiquis scripsimus. Cf. Schneid. p. 251. de littera *d* cum *t* commutata.

Sed difficillimum erat quibusdam locis cognitu, utrum *hic* an *is* ponendum esset. tutissimum quidem plerumque videbatur librum P sequi, sed ab illius quoque codicis librario non numquam in his vocibus peccatum esse 30, 20. constat, ubi pro *abisse* in Bb *ab his*, in P *ab iis* scriptum est. nec eam quae in Bb exhibita est, veram scribendi rationem esse posse, cum alia docent, tum ea menda quibus *cū his* pro *Cumis* positum est, *Ve his* pro *Veis*, *asperum his* pro *asperumis*, *his impetus* pro *is impetus*. Altera deinde dubitatio haec erat, utrum omnibus illis locis, ubi in Bb *h* ante *is* positum est, *iis* an *is* scribendum esset, cum hoc *is* et in P et in utroque Bb saepe legeretur, et *hijs* in L idem *is* postulare videretur. eis tamen locis, ubi et in P et in Bb *hic* pro *is* scriptum vidimus, ut 30, 3. *his transactis*, nos quoque scribere nihil dubitavimus.

Denique ablativum feminini generis *qua* et *ea* omnibus locis quibus meliores libri postularunt, restituendum putavimus: ex. gr. 30, 19: *in parte Italiae qua iacet ad Alpis*. 30, 33: *ut esset spatium qua nihil turbarent*. 30, 34: *congruens clamor eaque maior et terri-*

bilior: sc. *re „und deshalb:"* quod scriptum videtur pro *eo*, ne quis pron. ad compar. pertinere *(und um so gröſser)* putaret: cf. Plaut. Pers. 5, 1. 4.

In verbis compositis pro meliorum librorum ratione scripsimus *depremere, neglegere, delegere, impertire,* al.; *reciperare* et *recuperare,* prout in P Bb scriptum erat: nam etiam in P utrumque reperitur.

Quod ad consonantium assimilationem, quam vocant, attinet, quanta maxima fide libros P Bb P2 secuti sumus, praesertim cum in his rebus semper fere consentirent: ac si qua discrepantia intercedere videbatur, ut 30, 12. ubi in P *attingere,* in Bb *adtingere* est, id quod in P est scripsimus: quamquam dubium videri potest num in hoc recte fecerimus, cum in P non minus raro quam in Bb assimilatio adhiberi soleat: qua re si quis omnes huius generis consonantes sibi assimilatas scribere velit, id quod in principibus edd. factum est, is ab antiquioribus libris prorsus aberraverit. — 30, 6. cum P scripsimus *efugeret:* 30, 5. autem, ubi in P *et ferri,* 30, 11. ubi *et fundit,* 30, 20. ubi *et ferret* invenimus, *ecferri, ecfundit, ecferret* scripsimus, quod non modo in Livianis (ex. gr. 36, 34. in Bb & *quid* pro *ecquid)* sed etiam in Ciceronianis libris ante *q* et *f* persaepe ita erratum esse vidimus. — Eosdem libros P Bb P2 secuti scripsimus 30, 16: *apstineant,* 30, 1. 41: *optineret,* c. 3: *opsidebat,* c. 5: *optestatur* et *optriti,* c. 7: *opses-*

surum et *optestans,* c. 8: *opsidionis* et *opstinate,* c. 9. 10: *opsidionem,* c. 12: *optestor,* c. 19: *optineant,* c. 27: *optinebant,* c. 29: *optineri,* c. 33: *opterrerentur,* c. 42: *exopsoleta* et *optinuerint:* cf. Schneid. p. 219. Haec scribendi ratio, quam etiam in altero Bamb. exhibitam videmus, cum ab recentioribus parum intelligeretur, non numquam effecit, ut antiqua lectio mutanda videretur: eo enim mendo 30, 7. in L Br R T M A F *oppressurum* scriptum est, cum in P esset *opsessurum.* eodem 26, 12. in plerisque libris est scriptum: „Capua etsi nihilo segnius *oppressa* per eos dies fuerat:“ quo loco I. Lipsius *obsessa* recte restituit, cum in antiquioribus libris sine dubio *opsessa* fuerit. — 30, 8. ex P Bb *absumsit* scripsimus; atque ex P 30, 2. *scribserunt,* 30, 37. 38. *describta:* cf. Schneid. p. 219. — Nec praetereundum videtur, 30, 15. *promississe,* 30, 18. *effussis,* 30, 28. *perfussum* in Bb scriptum inveniri. — 30, 21. ex P *conprensos* restituimus: et cum eodem in cap. *reuerentur* in P esset, potius videbatur *reueherentur* quam quod recentiores statuerunt *reverterentur* a Livio scriptum fuisse, cum etiam alias littera *h* media omissa esset, ut 30, 9. ubi in Bb *traens* pro *trahens* reperitur. Eodem etiam loco ex P scribi oportuit *porgentium (porgere, pergere)* pro *porrigentium:* et 30, 16. ex P *incohauerat,* cuius loco in Bb *in quo hauerat* scriptum est: cf. Doederl. Synon. III. p. 157.

In fine huius libri XXX ex Bb scripsimus *liquerunt:* quod forsitan improbandum videatur, cum illa vox poetarum haberi soleat. sed praeterquam quod Livius verba poetarum propria non prorsus fugit, haec ipsa vox non modo alibi quoque in quibusdam manu scriptis Liv. pro *relinquere,* sed simili quo 30, 45. sensu etiam apud Ciceronem reperitur: ex. gr. pro Planc. 10, 26. de or. 3, 10. 38. 3, 46. 180. de fato 16, 36. de div. 1, 50. 112. itaque cum hoc loco in antiq. libris et *fecerunt* et *habuerunt* et *liquerunt* esset, et hoc postremum verbum loci rationi aptissimum videretur, haud aegre optimum codicem Bb secuti sumus. cf. etiam C. Valerii Flacci Argon. 5, 228: *„at vellera Martis in umbra ipse sui Phrixus monumentum insigne pericli liquerat, ardenti quercum complexa metallo.“* — Sic etiam aliis locis verba propria quadam atque nova significatione in hoc libro optimorum fide codicum scripta reperientur, quorum loco recentiores magis usitata ponere veriti non erant. ex hoc genere restituimus 30, 30. *fraudaverunt* pro *erudierunt, repugnet* pro *reputat,* quod hoc loco significat *procul a se amoveat* vel *fugiat incerta casuum:* „wohl nicht leicht läſst der, dem das Glück beständig treu ist, sich von dem Gedanken schrecken, daſs Alles dem Spiel des Schicksals unterworfen sei.“

Ab Livio deponentium participia perfecti passiva interdum significatione scribi cum con-

staret, etiam 30, 29. *percunctatosque dimisit* ex P Bb A M restituendum putavimus. ita scriptum est 1, 17. 2, 29. 35, 31: *expertus;* 1, 24: *effatus.* 2, 16. 38, 14: *comitatus;* 4, 13. 42, 31: *partitus;* 31, 12: *abominatus;* 34, 41. 37, 10: *testatus;* 39, 44: *immolitus;* 40, 15: *meditatus;* 43, 21: *emensus;* 44, 37: *metatus;* 45, 29: *interpretatus.* — Non numquam recentiores librarii participium pro gerundio invitis antiquis libris scripserant: restituimus igitur gerundium 30, 9. ex P: *„ad opprimendum stationem navium.“* 30, 13. ex P Bb L Br R T M A: *„in adloquendo victorem.“* 30, 14. ex Bb: *„ad iungendum mecum amicitiam.“* 30, 37. ex Bb L Br R T M A: *„ad dissuadendum pacem.“*

Interdum et alios scriptores et Livium ex uno tempore ad alterum quoddam transire C. T. Zumptius l. gr. §. 500. anim. 1. docuit: sic scriptum est 30, 15. in P Bb: *„his honoribus mollitur regis animus erectusque in spem propinquam omnis Numidiae potiundae.“* — 30, 24. ex P restituimus plusquamperfectum: *primo censuerant patres.., dein dictator revocavit.“* — Ex indicativo etiam ad coniunctivum apud Livium transiri solet: 30, 44. *cum spolia detrahebantur, cum cerneretis.* ita scribi oportuit etiam 30, 20. ex P L: *neque hac deformitate reditus mei tam P. Scipio exultabit atque ecferret sese quam Hanno.* 30, 30. ex P Bb: *quod igitur nos maxime abo-*

minamur, vos autem ante omnia optaretis: in meliore vestra fortuna de pace agitur: quo loco ab Br inde *abominaremur* scriptum erat. — Coniunctivum ex verbo *iubere* pendentem restituimus 30, 1. ex P: *ipse provinciam optineret.* 30, 19. ex P Bb L Br R: *iubentes primo quoque tempore in Africam traiceret.* — Infinitivus historicus in antiquis libris multo frequentius quam in recentioribus legitur, quamquam ille in his eisdem non numquam positus est, ubi Livius aliter senserat, ex gr. 30, 11. quo loco ex P Bb R *ac propere turbati* pro *turbari* scribi debuit. — Infinitivum cum particula *cum* apud Livium et Tacitum interdum coniungi Zumpt. §. 582. observavit: simili modo infinitivus etiam alias coniunctiones in orat. indir. sequitur, nec modo *quia* 26, 27. sed etiam particulas interrogativas aeque atque apud Tacitum. sic scripsimus ex P Bb 30, 21: *en unquam ille dies futurus esse;* 30, 28: *utrum gaudio dignum esse:* etsi dubium videtur, an pro Livii ratione his locis alterum quoddam verbum supplendum sit. nam quod 30, 21., ubi recentiores *sese* scribi voluerunt, ex P Bb L infinitivum restituimus, mirum non videbitur: *transitu in Italiam Hannibalis quantum terroris pavorisque esse meminisse:* hoc enim loco *quantum* idem fere significat quod *maximum* (Cic. Mil. 7, 16: *quantum luctum fuisse accepimus:*). — Coniunctivus in or. indir. in Bb servatus est 30, 42:

qui capti sint; 30, 16. in P Bb: *insulis omnibus quae inter Italiam atque Africam sint decedant.* Et cum vocales haud raro inter se confusae sint, dubitandum videtur, an simili mendo etiam eis locis, quibus coniunctivus adhuc desideratur, ab librariis erratum sit, ut Livius ex. gr. 3, 2. non *dederat* scripserit sed *Q. Fabium cos. dicere se ex Aequis pacem Romam tulisse, ab Roma Aequis bellum adferre eadem dextra armata, quam pacatam illis antea dederit.* sic enim etiam 30, 41. in uno P2 *optinuerint* repperimus, cum in Bb L sit *obtinuerunt,* et recentiores scripserint *obtinuissent,* M *optinuissent.*

In particulis etiam scribendis optimos nostros libros secuti haud pauca emendavimus. cum enim Livius plures eodem loco coniunctiones connectere soleat, ex P Bb L 30, 7. *ut* restituimus: *senatum itaque ut sufetes vocaverunt, ibi* cet. 30, 10: *sicut pote supino iactu: „so wie es natürlich ist bei einem von Unten nach Oben gerichteten Wurf.“* Aliis locis *et et, cum tum* neglectum erat, atque illa tria verba coniungendi ratio, qua Tacitus Livium imitatus est: ex. gr. 30, 1: *de re publica belloque et provinciis.* — 30, 42. ex P Bb restituimus *et quo .. et quod,* cum hoc non secus atque *non quo .. sed quod* dictum videatur. eodem loco scripsimus ex Bb *ex re p.,* cum etiam in P2 sit *ę rep.,* ex quo id quidem apparet, librarium non nudam litteram *e* in

antiquiore libro ante oculos habuisse: quamquam haud ignoramus, hanc scribendi rationem Ciceroni probatam non esse: cf. or. 47. 158. Nec in praepositionibus inseparabilibus a libro P recedendum videbatur. itaque scripsimus non modo 30, 26: *magnam vim frumenti aediles vicatim populo discripserunt* (h. e. *diviserunt, distribuerunt*): ut 34, 56. *discripsit* ex Bb pro *descripsit* restituendum est: sed etiam *dilectus* pro *delectus*, quod maximus omnium antiquorum librorum consensus hac una ratione Livium scripsisse docet. nec vituperandus videbitur Fr. Oudendorpius, quod cum idem *dilectus* in manu scriptis repperit, itidem apud Caesarem scripsit; nec si quis apud Ciceronem ita ediderit, cum nec Ciceroniani libri integriores ab hac ratione dissentiant. non tamen omnibus veteribus scriptoribus hanc unam rationem probatam esse facile crediderim.

Collocandorum verborum ordine cum etiam in hoc XXX libro saepe ab recentioribus peccatum esset, antiquorum librorum rationem restituimus 30, 3. 5. 9. 10. 12. 15. 16. 17. 18. 19. 21. 25. 27. 29. 30. 33. 34. 35. 38. 41. 42. 43: et quamquam necesse videbatur, in scribendi ratione integerrimos quosque codices maximae auctoritatis putari, in rebus dubiis tamen nihil exhibuimus, nisi quod in aliis quoque manu scriptis praeclaris legeramus. sic ex Bb etiam hiatus evitandi causa 30, 3. *harundine* scri-

psimus, sed itidem tum in poetarum quorundam libris tum ap. Liv. 35, 27. in Bb legimus *casas ex harundinibus textas:* cf. Schneid. p. 186. 30, 38. ex Bb L Br T: *ita habundavit Tiberis;* 30, 11. ex Bb L: *ita viris equisque habundabat:* cum idem in opt. Erlangensi I. Cic. librorum de orat. (ex gr. 1, 6: *otio studioque habundantes)* repperissem. Contra 30, 7. cum P Bb scribendum putavimus *ortandum:* quod cum recentiores non intelligerent, in L Br R T M A F *orandum* statuerunt; quem ad modum non dubitamus, quin 30, 34. in Bb recte scriptum sit *astati:* cf. Schneid. p. 184.

Quod attinet ad interpungendi rationem, primum curavimus, ne quid dissolveretur quod pro Liviana dicendi ratione seiungi non oporteret: deinde ut recte distinguendo cognitio et intelligentia scriptoris facilior redderetur. interdum etiam in his rebus Polybiana oratione adiuti sumus, ut 30, 5. ubi ex Polybio 14, 3. 5. videre licet, in uno Lips. integram Livii manum servatam esse: *proponit tribunis, et edicit* cet. — Epitomen ex princ. edd. melioribusque Drak. libris emendavi: ipsique Livianae orationi Bekkerianae editionis diversitatem subieci. Maiorem tamen huius libri editionem, quam commentario tum critico tum exegetico instructam habeo, edere nolim ante quam ipse praeclaros Laurentianae bibliothecae manu scriptos codd. Livianos inspexerim.

Ceterum quamquam mihi ipse conscius sum, nihil omnino in hoc tricesimo Livii libro a me temere pro corrupto habitum esse, nisi vel res ipsa vel antiqui libri id extra omnem ponerent dubitationem: neque quidquam in locis corruptis scripsisse mihi videor, nisi quod aut integerrimis in libris esset aut ad eos quam proxime accedere videretur: tamen haud pauca et fefellisse me et prorsus praeterisse libentissime concesserim. si quis igitur eorum hominum doctorum, penes quos harum rerum iudicium est, quos in hac potissimum Germania, antiqua verae doctrinae sede, multos esse video, melius quam ego verum perspexerit, is non mihi modo gratissimum faciet, si quidquid a me erratum est, veris certisque causis allatis arguerit: sed etiam providebit praeclarissimorum veteris scriptoris monumentorum integritati, quam ut aliquando vere restitutam videam, per totam vitam summo cum studio atque labore enitar. nam ab uno homine tantam rem perfici non posse, et priorum editorum studia ostenderunt, et mea qualiacunque studia probabunt.

Finem vero dicendi facere non possum, quin gratias agam maximas dilectissimo meo praeceptori, Car. Tim. Zumptio, qui et disciplina sua et suavissima illa qua me et adolescentem et virum amplexus est, benevolentiae caritate tantopere me sibi devinxit, ut si quid in his litteris videar praestitisse, omnem eius

rei gratiam huic potissimum viro optimo deberi grato animo profitear. ne tamen etiam Conr. Leop. Schneidero, cuius tot et tanta de me puero fuerunt merita, ut eum perpetuo tamquam patrem alterum venerer, vivo gratias agerem, cum mihi tum litteris communibus fortuna aliqua adversa videtur invidisse.

Scrib. Berolini a. d. V. Cal. Aug. MDCCCXXXIX.

Car. Fr. Sig. Alschefski.

ADDENDA.

Pag. XXV. 29: — ex Bb 38, 8: „cum in hoc statu ad Ambr. *res esset.*"
- LV. 14: — 30, 43. *tum* et 30, 44. *diu.*
- LXV. 8: — cf. Liv. 8, 12: „bello infecto repente omisso consul — Romam rediit." Ovid. Met. 6, 201: „laurumque capillis ponite. deponunt et sacra infecta relinquunt."

Notae P Bb P2 L Br R T M A F, quibus in conferendis libris manu scriptis principibusque editionibus usi sumus, explicatae sunt in commentatione critica p. XXI.

TITI LIVI

AB VRBE CONDITA

LIBER TRICESIMVS.

Epitome.

In Africa Carthaginienses et eundem Syphacem Numidiae regem Hasdrubalemque pluribus proeliis vicit Scipio adiuvante Masinissa, binaque hostium castra expugnavit, in quibus quadraginta milia hominum ferro ignique consumpta sunt. Syphacem per C. Laelium et Masinissam cepit. Masinissa Sophonibam, uxorem Syphacis, filiam Hasdrubalis, captam statim adamavit, et nuptiis factis uxorem habuit. castigatus a Scipione venenum ei misit, quo hausto illa decessit. effectumque est multis Scipionis victoriis, ut Carthaginienses in desperationem acti in auxilium publicae salutis Hannibalem revocarent. isque anno XVI. Italia decedens in Africam traiecit temptavitque per colloquium pacem cum Scipione componere: et cum de conditionibus pacis non convenisset, acie victus est. pax Carthaginiensibus data est petentibus. Hannibal Gisgonem

Epitome.

In Africa Carthaginienses et eundem Syphacem Numidiae regem Hasdrubalemque pluribus proeliis vicit Scipio adiuvante Masinissa, binaque hostium castra expugnavit, in quibus quadraginta milia hominum ferro ignique consumpta sunt. Syphacem per C. Laelium et Masinissam cepit. Masinissa Sophonibam, uxorem Syphacis, filiam Hasdrubalis, captam statim adamavit, et nuptiis factis uxorem habuit. castigatus a Scipione venenum ei misit, quo hausto illa decessit. effectumque est multis Scipionis victoriis, ut Carthaginienses in desperationem acti in auxilium publicae salutis Hannibalem revocarent. isque anno XVI. Italia decedens in Africam traiecit temptavitque per colloquium pacem cum Scipione componere: et cum de conditionibus pacis non convenisset, acie victus est. pax Carthaginiensibus data est petentibus. Hannibal Gisgonem

pacem dissuadentem manu sua detraxit: excusata deinde temeritate facti ipse pacem suasit. reversus in urbem Scipio amplissimum nobilissimumque egit triumphum, quem Q. Terentius Culleo senator pileatus secutus est. Scipio Africanus incertum militari prius favore an populari aura ita cognominatus sit: primus certe hic imperator victae a se nomine gentis nobilitatus est. [Mago, qui bello in agro Insubrium cum Romanis conflixerat, vulneratus dum in Africam per legatos revocatus revertitur, ex vulnere mortuus est. Masinissae regnum restitutum est.]

I. Cn. SERVILIUS ET C. SERVILIUS COSS — sextus decimus is annus belli Punici erat — cum de re publica belloque et provincis ad senatum rettulissent, censuerunt patres, ut consules inter se compararent sortirenturve, uter Bruttios adversus Hannibalem, uter Etruriam ac Ligures provinciam haberet. cui Brutti evenissent, exercitum a P. Sempronio acciperet. P. Sempronius — ei quoque enim proconsuli imperium in annum prorogabatur — P. Licinio succederet. is Romam reverteretur, bello quoque bonus habitus ad cetera, quibus nemo ea tempestate instructior civis habebatur: congestis omnibus humanis ab natura fortunaque bonis nobilis idem ac dives erat; forma viribusque corporis excellebat; facundissimus habebatur, seu causa oranda, seu in senatu, ad populum suadendi ac dissuadendi locus esset; iuris pontificii peritissimus: super haec

---

1. *Cn. Servilius et C. Servilius coss.*] Cn. Servilius Caepio et C. Servilius Geminus consules. — P Bb: *Cn. Servilius cos.* L: *Cornelius et Seruilius consules:* — Harl.: *Consul Seruilius et C. Seruilius coss.*

3. *provincis:* P] provinciis.

7. *Brutti:* P] Bruttii.

13. *ab natura*] a natura. — P Bb: *od natura.*

bellicae quoque laudis consulatus, compotem fecerat. quod in Bruttiis provincia, item in Etruria ac Liguribus decretum: M. Cornelius novo consuli tradere exercitum iussus: ipse prorogato imperio Galliam provinciam optineret cum legionibus quas praetor Scribonius priore anno habuisset. sortiti deinde provincias: Caepioni Brutti, Servilio Gemino Etruria evenit. tum praetorum provinciae in sortem coniectae: iurisdictionem urbanam Paetus Aelius, Sardiniam P. Lentulus, Siciliam P. Villius, Ariminum cum duabus legionibus — sub Lucretio Spurio eae fuerant — Quintilius Varus est sortitus. et Lucretio prorogatum imperium, ut Genuam oppidum a Magone Poeno dirutum exaedificaret. P. Scipioni non in temporis sed rei gerendae finem, donec debellatum in Africa foret, prorogatum imperium est, decretumque ut supplicatio fieret, quod is in Africam provinciam traiecisset, ut ea res salutaris populo Romano ipsique duci atque exercitui esset.

II. In Siciliam tria milia militum sunt scripta, et quia, quod roboris ea provincia habuerat, in Africam transvectum fuerat, et quia, antequam classis ex Africa traiceret, quadraginta navibus custodiri

2. *item:* Bb] idem.
5. *optineret:* P] obtineret.
5. *cum legionibus:* P] cum legionibus iis.
5. *praetor Scribonius:* P Bb L] praetor L. Scribonius.
7. *Brutti:* P] Bruttii.
14. *non in temporis sed rei gerendae finem*] non temporis sed rei gerendae fine. — L: *nunc temp.* P Bb L Br: *finem.*
20. *tria milia:* Bb L] tria millia.
22. *antequam:* P Bb L] ne qua.
23. *traiceret:* P Bb L] traiiceret.

placuerat Siciliae maritumam oram. tredecim novas naves Villius secum in Siciliam duxit, ceterae et in Sicilia veteres refectae. huic classi M. Pomponius, prioris anni praetor, prorogato imperio praepositus novos milites ex Italia advectos in naves inposuit. parem navium numerum Cn. Octavio, praetori item prioris anni, cum pari iure imperi ad tuendam Sardiae oram patres decreverunt: Lentulus praetor duo milia militum dare in naves iussus. et Italiae ora — quia incertum erat quo missuri classem Carthaginienses forent, videbantur autem quidquid nudatum praesidiis esset petituri — M. Marcio, praetori prioris anni, cum totidem navibus tuenda data est. tria milia militum in eam classem ex decreto patrum consules scribserunt et duas legiones urbanas ad incerta belli. Hispaniae cum exercitibus imperioque veteribus imperatoribus L. Lentulo et L. Manlio Accidino decretae. viginti omnino legionibus et centum sexaginta navibus longis res Romana eo anno gesta.

Praetores in provincias ire iussi. consulibus imperatum, prius quam ab urbe proficiscerentur ludos magnos facerent, quos T. Manlius Torquatus dictator in quintum annum vovisset si eodem statu res

---

1. *maritumam:* P] maritimam.
2. *et in Sicilia:* Bb L] in Sicilia.
6. *inposuit:* Bb] imposuit.
7. *imperi:* P] imperii.
8. *Sardiae:* P] Sardiniae.
9. *duo milia:* Bb] duo millia.
11. *quidquid:* P L] quicquid.
14. *tria milia:* L] tria millia.
15. *scribserunt:* P] scripserunt.
18. *Accidino:* L Br] Acidino.

publica staret. et novas religiones excitabant in animis hominum prodigia ex pluribus locis nuntiata. aurum in Capitolio corvi non lacerasse tantum rostris crediti sed etiam edisse: mures Antii coronam auream adrosere: circa Capuam omnem agrum lucustarum vis ingens, ita ut unde advenissent parum constaret, complevit: eculeus Reate cum quinque pedibus natus: Anagniae sparsi primum ignes in caelo, dein fax ingens arsit: Frusinone arcus solem tenui linea amplexus est, circulum deinde ipsum maior solis orbis extrinsecus inclusit: Arpini terra campestri agro in ingentem sinum consedit: consulum alteri primam hostiam immolanti capud iocineris defuit. ea prodigia maioribus hostiis procurata: editi a collegio pontificum dei quibus sacrificaretur.

III. His transactis consules praetoresque in provincias profecti. omnibus tamen, velut eam sortitis, Africae cura erat, seu quia ibi summam rerum bellique verti cernebant, seu ut Scipioni gratificarentur, in quem tunc omnis versa civitas erat. itaque non ex Sardinia tantum, sicut ante dictum est, sed ex Sicilia quoque et Hispania vestimenta frumentumque, et arma etiam ex Sicilia et omne genus commeatus eo portabantur. nec Scipio illo tempore

---

2. *nuntiata:* P Bb] nunciata.
5. *adrosere:* P Bb L] arrossere.
5. *lucustarum:* P] locustarum.
7. *eculeus:* P Bb L] equuleus.
13. *capud:* L] caput.
13. *iocineris:* P Bb L] iocinoris.
15. *dei:* P Bb L] dii.
16. *his transactis:* P Bb L] iis transactis.
20. *tunc*] tum.
24. *illo tempore:* P Bb L] ullo tempore.

hiemis belli opera remiserat, quae multa simul undique eum circumstabant: Uticam opsidebat, castra in conspectu Hasdrubalis erant, Carthaginienses deduxerant naves, classem paratam instructamque ad commeatus intercipiendos habebant.

Inter haec ne Syphacis quidem reconciliandi curam ex animo miserat, si forte iam satis amoris in uxore ex multa copia cepisset: set ab Syphace magis pacis cum Carthaginiensibus condiciones, ut Romani Africa Poeni Italia excederent, quam si bellaretur spes ulla desciturum adferebatur. haec per nuntios acta magis equidem crediderim — et ita pars maior auctores sunt — quam ipsum Syphacem, ut Antias Valerius prodit, in castra Romana ad conloquium venisse. primo eas condiciones imperator Romanus vix auribus admisit: postea, ut causa probabilis suis commeandi foret in castra hostium, mollius eadem illa abnuere ac spem facere saepius ultro citroque agitantibus rem conventuram. Hibernacula Carthaginiensium, congesta temere ex agris materia exaedificata, lignea ferme tota erant. Numidae praecipue harundine textis storeaque pars maxima tectis passim nullo ordine, quidam, ut sine imperio occupatis locis, extra fossam etiam vallumque habitabant. haec relata Scipioni spem fecerant castra hostium per occasionem incendendi.

---

2. *opsidebat:* P] obsidebat.
7. *satis amoris:* P Bb L] satias amoris.
8. *set ab Syphace*] ab Syphace.
11. *adferebatur:* P Bb] afferebatur.
11. *haec per nuntios acta magis equidem crediderim:* P Bb] haec per nuncios magis equidem acta crediderim.
15. *ad conloquium:* P Bb] ad colloquium.
22. *harundine:* Bb] arundine.

IV. Cum legatis quos mitteret ad Syphacem, calonum loco primos ordines spectatae virtutis atque prudentiae servili habitu mittebat, qui, dum in conloquio legati essent, vagi per castra alius alia aditus exitusque omnis, situm formamque et universorum castrorum et partium, qua Poeni qua Numidae haberent, quantum intervalli inter Hasdrubalis ac regia castra esset, specularentur, moremque simul noscerent stationum vigiliarumque, nocte an interdiu oportunae res insidianti essent. et inter crebra conloquia alii atque alii de industria, quo pluribus omnia nota essent, mittebantur. cum saepius agitata res certiorem spem pacis in dies et Syphaci et Carthaginiensibus per eum faceret, legati Romani vetitos se reverti ad imperatorem aiunt, nisi certum responsum detur. proinde seu ipsi staret iam sententia, seu consulendus Hasdrubal et Carthaginienses essent, consuleret: tempus esse aut pacem componi aut bellum naviter geri. dum consulitur Hasdrubal et Carthaginienses, et speculatores omnia visendi et Scipio ad comparanda ea quae in rem erant tempus habuit. et mentione ac spe pacis neglegentia, ut fit, apud Poenos Numidamque orta cavendi ne quid hostile interim paterentur. tandem relatum responsum quibusdam, quia nimis cupere

3. *in conloquio:* P Bb] in colloquio.

5. *omnis:* Bb] omnes.

10. *oportunae res:* L] opportuniores.

11. *conloquia:* P Bb] colloquia.

19. *dum consulitur Hasdrubal et Carthaginienses:* L Br R] dum consulitur Hasdrubal ab Syphace, ab Hasdrubale Carthaginienses. — P Bb: *dum consulitur hasdrubal e carthaginienses.*

22. *et mentione:* P Bb L] et ex mentione.

22. *neglegentia*] negligentia. — P Bb: *neclegentia.*

Romanus pacem videbatur, iniquis per occasionem adiectis: quae peropportune cupienti tollere indutias Scipioni causam praebuere. ac nuntio regis, cum relaturum se ad consilium dixisset, postero die respondit, se uno frustra tendente nulli ali pacem placuisse: renuntiaret igitur nullam aliam spem pacis quam relictis Carthaginiensibus Syphaci cum Romanis esse. ita tollit indutias, ut libera fide incepta exsequeretur: deductisque navibus — et iam veris principium erat — machinas tormentaque velut a mari adgressurus Uticam imponit. et duo milia militum ad capiendum quem antea tenuerat tumulum super Uticam mittit, simul ab eo quod parabat in alterius rei curam converteretur hostium animus, simul ne qua, cum ipse ad Syphacem Hasdrubalemque profectus esset, eruptio ex urbe et impetus in castra sua relicta cum levi praesidio fieret.

V. His praeparatis advocatoque consilio et dicere exploratoribus iussis quae conperta adferrent, Masinissaque, cui omnia hostium nota erant, postremo ipse quid pararet in proximam noctem proponit tribunis, et edicit ut, ubi praetorio dimisso

---

3. *nuntio*] núncio. — P Bb: *nunti.*
5. *nulli ali:* P Bb] nulli alii.
6. *renuntiaret:* P Bb] renunciaret.
11. *adgressurus:* P Bb] aggressurus.
11. *duo milia:* B] duo millia.
13. *simul ab eo:* P Bb L Br] simul ut ab eo.
14. *converteretur hostium animus:* P] converteret hostium animos.
18. *et dicere:* P Bb L] edicere.
19. *conperta:* P] comperta.
19. *adferrent:* P Bb] afferrent.
21. *proponit tribunis et edicit:* L] proponit; tribunis edicit.

signa concinuisset, extemplo educerent castris legiones. ita ut imperaverat signa sub occasum solis ecferri sunt coepta. ad primam ferme vigiliam agmen explicaverunt, media nocte — septem enim millia itineris erant — modico gradu ad castra hostium perventum est. ibi Scipio partem copiarum Laelio Masinissamque ac Numidas adtribuit, et castra Syphacis invadere ignesque conicere iubet. singulos deinde separatim Laelium ac Masinissam deductos optestatur ut, quantum nox providentiae adimat, tantum diligentia expleant curaque. se Hasdrubalem Punicaque castra adgressurum: ceterum non ante coepturum quam ignem in regiis castris conspexissent. neque ea res morata diu est: nam et proximis casis iniectus ignis haesit, et extemplo proxima quaeque et deinceps continua amplexus totis se passim dissipavit castris. et trepidatio quidem quanta necesse erat in nocturno effuso tam late incendio orta est. ceterum fortuitum non hostilem ac bellicum ignem rati esse, sine armis ad restinguendum incendium effusi in armatos incidere hostis, maxime Numidas ab Masinissa notitia regiorum ca-

1. *concinuisset*] concinuissent. — P Bb L: *continuisset.*
3. *ecferri*] efferri. — P: *et fer.*
7. *adtribuit:* P Bb] attribuit.
8. *conicere:* Br] coniicere. — P Bb L: *colligere.*
9. *deductos:* P Bb L Br] seductos.
10. *optestatur:* P Bb] obtestatur.
12. *adgressurum:* P Bb] aggressurum.
14. *conspexissent:* P Bb] conspexisset.
14. *nam et proximis:* Bb L Br] nam ut primis. — P: *nam ut proximis.*
15. *et extemplo*] extemplo. — Bb: *et templo.* P: *ex templo.*
21. *hostis:* P Bb] hostes.

strorum ad exitus itinerum idoneis locis dispositos. in ipsis cubilibus semisomnos hausit flamma: multi praecipiti fuga ruentes alii super alios in angustis portarum optriti sunt.

VI. Relucentem flammam primo vigiles Carthaginiensium deinde excitati alii nocturno tumultu cum conspexissent, ab eodem terrore credere et ipsi sua sponte incendium ortum: et clamor, inter caedem et vulnera sublatus an ex trepidatione nocturna esset, confusus sensum veri adimebat. igitur pro se quisque inermes, ut quibus hostile nihil suspectum esset, omnibus portis, qua cuique proximum erat, ea modo quae restinguendo igni forent portantes, in agmen Romanum ruebant. quibus caesis omnibus praeterquam hostili odio, etiam ne quis nuntius efugeret, extemplo Scipio neglectas ut in tali tumultu portas invadit: ignibusque in proxima tecta coniectis effusa flamma primo velut sparso pluribus locis reluxit, deinde per continua serpens uno repente omnia incendio hausit. ambu-

---

2. *in ipsis cubilibus:* P Bb L] multos in ipsis cubilibus.

2. *multi praecipiti fuga:* Cantabr.] multi in praecipiti fuga.

3. *ruentes alii super alios:* Lovel. 3. 4.] ruentes super alios alii. — P Bb L: *ruentes super alii alios.*

3. *in angustis portarum optriti sunt:* P Bb] in angustiis portarum obtriti sunt.

7. *ab eodem terrore:* P Bb L] ab eodem errore.

11. *hostile nihil:* L] nihil hostile. — In P Bb *nihil* praetermissum est.

16. *nuntius:* P Bb] nuncius.

16. *efugeret:* P] effugeret.

18. *velut sparso:* P Bb L] velati sparsa.

19. *deinde:* P] dein.

sti homines iumentaque foeda primum fuga dei strage obruebant itinera portarum: quos non op presserat ignis, ferro absumpti: binaque castra un nocte deleta. duces tamen ambo, ex tot milibus a matorum duo milia peditum et quingenti equite semermes, magna pars saucii adflatique incendio ef fugerunt. caesa aut hausta flammis quadraginta mili hominum sunt, capta supra quinque milia: mult Carthaginiensium nobiles, undecim senatores; signa militaria centum septuaginta quattuor, equi Numidici supra duo milia septingenti, elephanti sex capti, octo ferro flammaque absumpti. magna vis armorum capta: ea omnia imperator Vulcano sacrata incendit.

VII. Hasdrubal ex fuga cum paucis Afrorum urbem proximam petierat, eoque omnes qui super-erant vestigia ducis sequentes se contulerant. metu deinde ne dederetur Scipioni, urbe excessit. mox eodem patentibus portis Romani accepti: nec quicquam hostile, quia voluntate concesserant in deditio-nem, factum. duae subinde urbes captae direptae-que. ea praeda et quae castris excensis et ex igne

2. *obruebant:* P Bb L Br] obruerant.
3. *una nocte*] clade una. — P: *de una.* Bb: *die uno.* Br: *una die.*
4. *ex tot mil.:* P Bb L] et ex tot mil.
4. *milibus:* Bb L] millibus.
5. *milia:* Br] millia.
6. *semermes:* P] semiermes.
6. *adflatique:* P Bb] afflatique.
7. *milia:* Bb] millia.
11. *duo milia:* Br] duo millia.
12. *ferro flammaque:* P Bb L] flamma ferroque.
12. *magna vis:* P Bb] magnaque vis.
19. *in deditionem:* L] in dicionem.
21. *castris excensis:* P Bb] castris incensis.
21. *et ex igne:* L] ex igne.

rapta erat, militi concessa est. Syphax octo milium ferme inde spatio loco communito consedit; Hasdrubal Carthaginem contendit, ne quid per metum ex recenti clade mollius consuleretur. quo tantus primo terror est allatus, ut omissa Utica Carthaginem crederent extemplo Scipionem opsessurum. senatum itaque ut sufetes — quod velud consulare imperium apud eos erat — vocaverunt, ibi tribus partibus una de pace legatos ad Scipionem decernebat, altera Hannibalem ad tuendam ab exitiali bello patriam revocabat, tertia Romanae in adversis rebus constantiae erat: reparandum exercitum Syphacemque ortandum ne bello absisteret censebant: haec sententia, quia Hasdrubal praesens Barchinaeque omnes factionis bellum malebant, vincit. inde dilectus in urbe agrisque haberi coeptus, et ad Syphacem legati missi, summa ope et ipsum reparantem bellum, cum uxor non iam ut ante blanditiis, satis potentibus ad animum amantis, sed precibus et misericordia valuisset, plena lacrimarum optestans, ne patrem suum patriamque proderet

---

1. *octo milium:* Bb] octo millium.
6. *opsessurum:* P] obsessurum.
7. *itaque ut:* P Bb L] itaque.
7. *sufetes:* P m. 1.] suffetes.
7. *velud:* L] velut.
8. *ibi tribus partibus una*] ibi e tribus una. — P Bb L: *ibi tribus una.* Br: *ibi tribus dictis sententiis una.*
10. *ab exitiali bello:* P Br] ab exitiabili bello.
13. *ortandum:* P Bb] hortandum.
13. *censebant:* P Bb L] censebat.
14. *Barchinaeque:* P Bb] Barcinaeque.
15. *vincit:* P Bb] vicit.
16. *dilectus:* P Bb L] delectus.
21. *optestans:* P Bb] obtestans.

isdemque flammis Carthaginem, quibus castra conflagrassent, absumi sineret. spem quoque oportune oblatam adferebant legati: quattuor millia Celtiberorum circa urbem nomine Obbam ab conquisitoribus suis conducta in Hispania egregiae iuventutis sibi occurrisse, et Hasdrubalem prope diem adfore cum manu haudquaquam contempnenda. igitur non benigne modo legatis respondit, sed ostendit etiam multitudinem agrestium Numidarum, quibus per eosdem dies arma equosque dedisset, et omnem iuventutem adfirmat ex regno exciturum. scire, incendio non proelio cladem acceptam: eum bello inferiorem esse qui armis vincatur. haec legatis responsa. et post dies paucos reversus Hasdrubal et Syphax copias iunxerunt: is omnis exercitus fuit triginta ferme milia armatorum.

VIII. Scipionem — velut iam debellato quod ad Syphacem Carthaginiensesque attineret — Uticae oppugnandae intentum iamque machinas admoventem muris avertit fama redintegrati belli, modicisque praesidis ad speciem modo opsidionis terra mari-

---

1. *isdemque:* P Bb R] iisdemque.
2. *oportune:* Bb] opportune.
3. *adferebant:* P Bb] afferebant.
6. *adfore:* P Bb] affore.
7. *contempnenda:* Bb L] contemnenda.
11. *adfirmat:* P Bb] affirmat.
11. *ex regno exciturum:* P Bb Br] exciturum ex regno.
12. *proelio:* P] praelio.
14. *reversus Hasdrubal:* P Bb L] rursus Hasdrubal.
16. *triginta ferme milia:* Bb Br R] triginta ferme millium. — P: *millia.*
21. *praesidis:* P] praesidiis.
21. *opsidionis:* P] obsidionis.

rique relictis ipse cum robore exercitus ire ad hostis pergit. primo in tumulo quattuor milia ferme distante ab castris regiis consedit, postero die cum equitatu in Magnos — ita vocant — campos subiectos ei tumulo degressus succedendo ad stationes hostium lacessendoque levibus proeliis diem absumsit. et per insequens biduum tumultuosis hinc atque illinc excursionibus in vicem nihil dictu satis dignum fecerunt. quarto die in aciem utrimque descensum est. Romanus principes post hastatorum prima signa, in subsidiis triarios constituit; equitatum Italicum ab dextro cornu, ab laevo Numidas Masinissamque opposuit. Syphax Hasdrubalque Numidicis adversus Italicum equitatum, Carthaginiensium contra Masinissam locatis, Celtiberos mediam aciem in adversa signa legionum accipere. ita instructi concurrunt. primo impetu simul utraque cornua et Numidae et Carthaginienses pulsi: nam neque Numidae, maxima pars agrestes, Romanum equitatum, neque Carthaginienses, et ipse novus miles, Masinissam recenti super cetera victoria terribilem sustinuere. nudata utrimque cornibus Celtiberum acies stabat, quod nec in fuga salus ulla ostendebatur locis ignotis, neque spes veniae ab Scipione erat, quem bene meritum de se et gente sua mercennariis armis in Africam oppugnatum venissent. igi-

1. *ad hostis:* P Bb] ad hostes.
2. *milia ferme:* Bb] ferme millia. — P: *millia ferme.*
6. *proeliis:* P] praeliis.
6. *absumsit:* P Bb] absumpsit.
9. *utrimque:* P Bb] utrinque.
14. *Carthaginiensium:* P Bb L] Carthaginiensibus.
16. *accipere:* Bb L] accepere.
22. *utrimque:* P Bb] utrinque.
25. *mercennariis:* P Bb R T M] mercenariis.

tur circumfusis undique hostibus ali super alios cadentes opstinate moriebantur: omnibusque in eos versis aliquantum ad fugam temporis Syphax et Hasdrubal praeceperunt. fatigatos caede diutius quam pugna victores nox oppressit.

IX. Postero die Scipio Laelium Masinissamque cum omni Romano et Numidico equitatu expeditisque militum ad persequendos Syphacem atque Hasdrubalem mittit. ipse cum robore exercitus urbes circa omnis, quae Carthaginiensium dicionis erant, partim spe partim metu partim vi subigit. Carthagini erat quidem ingens terror, et circumferentem arma Scipionem omnibus finitimis raptim perdomitis ipsam Carthaginem repente adgressurum credebant. itaque et muri reficiebantur propugnaculisque armabantur, et pro se quisque, quae diutinae opsidionis toleranda sunt, ex agris convehit. rara mentio est pacis, frequentior legatorum ad Hannibalem arcessendum mittendorum; pars maxima classem, quae ad commeatus excipiendos parata erat, mittere iubent ad opprimendum stationem navium ad Uticam incaute agentem, forsitan etiam navalia castra relicta cum levi praesidio oppressuros. in hoc consilium maxime inclinant: legatos tamen ad Hannibalem mittendos censent, quippe classi ut felicissime gerantur res,

1. *ali:* P] alii.
2. *opstinate:* P] obstinati. — Bb: *obstinate.*
9. *urbes circa omnis, quae Carth.:* Br R] urbes circa quae omnes Carth. — Bb: *omnis.*
11. *subigit*] subegit. — P Bb: *subicit.*
11. *erat quidem:* P Bb] quidem erat.
14. *adgressurum:* P Bb R] aggressurum.
16. *opsidionis:* P Bb] obsidionis.
20. *ad opprimendum stationem:* P m. 1.] ad opprimendam stationem.

parte aliqua levari Uticae opsidionem, Carthaginem ipsam qui tueatur, neque imperatorem alium quam Hannibalem neque exercitum alium quam Hannibalis superesse. deductae ergo postero die naves, simul et legati in Italiam profecti: raptimque omnia stimulante fortuna agebantur, et in quo quisque cessasset, prodi ab se salutem omnium rebatur.

Scipio gravem iam spoliis multarum urbium exercitum trahens, captivis aliaque praeda in vetera castra ad Uticam missis, iam in Carthaginem intentus occupat relictum fuga custodum Tyneta. abest a Carthagine quindecim milia ferme passuum locus cum operibus tum suapte natura tutus, et qui et ab Carthagine conspici et praebere ipse conspectum in circumfusum mare urbi possit.

X. Inde, cum maxime vallum Romani iacerent, conspecta classis hostium est Uticam a Carthagine petens. igitur omisso opere pronuntiatum iter, signaque raptim ferri sunt coepta, ne naves in terram et opsidionem versae ac minime navali praelio aptae opprimerentur. qui enim restitissent agili et nautico instrumento aptae et armatae classi naves tormenta machinasque portantes, et aut in onerariarum usum

---

1. *opsidionem:* P Bb] obsidionem.

11. *Tyneta:* P Bb] Tuneta.

12. *a Carthagine:* P Bb] ab Carthagine.

12. *quindecim milia:* Bb] quindecim millia.

14. *praebere ipse conspectum in circumfusum mare urbi possit*] praebere ipse prospectum cum ad urbem tum ad circumfusum mare urbi posset. — P Bb L: *praebere ipse conspectum cumfusum* [Bb: *consuetum*] *mare urbi possit.* — *conspectum* etiam in Br R T.

17. *a Carthagine:* P Bb L Br] Carthagine.

18. *pronuntiatum:* P] pronunciatum.

20. *opsidionem:* P] obsidionem.

versae, aut ita adpulsae muris ut pro aggere ac pontibus praebere ascensus possent? itaque Scipio — praeter quam in navali certamine solet — rostratis, quae praesidio aliis esse poterant, in postremam aciem receptis prope terram, onerariarum quadriplicem ordinem pro muro adversus hostem opposuit; easque ipsas, ne in tumultu pugnae turbari ordines possent, malis antemnisque de nave in navem traiectis ac validis funibus velut uno inter se vinculo inligatis conpressit; tabulasque superinstravit, ut pervium ordinem fecisset; et sub ipsis pontibus intervalla fecit, qua procurrere speculatoriae naves in hostem ac tuto recipi possent. his raptim pro tempore instructis mille ferme dilecti propugnatores onerariis imponuntur; telorum missilium, ut quamvis longo certamine sufficerent, vis ingens congeritur. ita parati atque intenti hostium adventum operiebantur. Carthaginienses, qui si maturassent, omnia permixta turba trepidantium primo impetu oppressissent, perculsi terrestribus cladibus atque inde ne

1. *adpulsae muris*] appulsae ad muros. — P Bb: *pulsae ad muris.*
2. *ascensus:* P Bb] adscensus.
3. *praeter quam*] contra quam. — P Bb L Br: *post quam.*
5. *quadriplicem:* P Bb] quadruplicem.
8. *antemnisque:* P Bb] antennisque.
10. *inligatis:* P Bb] illigatis.
10. *conpressit:* Bb L] comprendit. — P: *conprensit.*
14. *dilecti:* P Bb] delecti.
15. *telorum missilium:* P Bb L] telorum maxime missilium.
17. *operiebantur:* P Bb L Br] opperiebantur.
20. *atque inde ne mari quidem*] atque inde ne in mari quidem. — P Bb L: *atque inde in mari quidem.*

mari quidem, ubi ipsi plus poterant, satis fidentes, die segni navigatione absumpto sub occasum solis in portum — Rusucmona Afri vocant — classe adpulere. postero die sub ortum solis instruxere ab alto naves velut ad iustum proelium navale et tamquam exituris contra Romanis. cum diu stetissent, postquam nihil moveri ab hostibus viderunt, tum demum onerarias adgrediuntur. res erat minime certamini navali similis, proxime speciem muros oppugnantium navium. altitudine aliquantum onerariae superabant: ex rostratis Poeni vana pleraque — sicut pote supino iactu — tela in locum superiorem mittebant: gravior ac pondere ipso libratior superne ex onerariis ictus erat. speculatoriae naves ac levia ipsa navigia, quae sub constratis pontium per intervalla excurrebant, primo ipsae et tanto impetu et magnitudine rostratarum obruebantur, deinde et propugnatoribus quoque incommodae erant, quod permixtae cum hostium navibus inhibere saepe tela cogebant, metu ne ambiguo ictu suis inciderent. postremo asseres ferreo unco praefixi — har-

---

3. *Rusucmona:* P Bb] Ruscinona.

3. *adpulere:* P Bb] appulere.

5. *proelium:* P Bb] praelium.

5. *tamquam:* P] tanquam.

8. *adgrediuntur:* P Bb] aggrediuntur.

8. *res erat*] erat res. — In P Bb L excidit *res.*

12. *sicut pote:* P] utpote. — Bb L: *sicut ponte.*

12. *in locum superiorem:* P Bb L Br] in superiorem locum.

16. *primo ipsae:* P] primo ipso. — Bb: *primo ipsa.*

16. *et tanto impetu:* Bb] tantum impetu. — P: *tanto impetu.*

17. *et magnitudine:* P Bb L] ac magnitudine.

pagones vocat miles — ex Punicis navibus inici in Romanas coepti. quos cum neque ipsos neque catenas quibus suspensi iniciebantur incidere possent, ut quaeque retro inhibita rostrata onerariam adhaerentem unco traheret, scindi videres vincula quibus alia aliis innexa erat, seriem aliam simul plurium navium trahi. hoc maxime modo lacerati quidem omnes pontes, et vix transiliendi in secundum ordinem navium spatium propugnatoribus datum est. sex ferme onerariae puppibus abstractae Karthaginem sunt: maior quam pro re laetitia, sed eo gravior quod inter adsiduas clades ac lacrimas unum quantumcumque ex insperato gaudium adfulserat, cum eo ut appareret haut procul exitio fuisse Romanam classem, ni cessatum a praefectis suarum navium foret et Scipio in tempore subvenisset.

XI. Per eosdem forte dies, cum Laelius et Masinissa quinto decumo ferme die in Numidiam pervenissent, Massuli, regnum paternum Masinissae, laeti ut ad regem diu desideratum concessere. Sy-

---

1. *vocat:* P] vocant.
1. *miles:* Bb] recentiores omiserunt vocem. — P: *mil.* L: *milles.* Br: *milites.*
1. *inici:* L Br] iniici.
3. *iniciebantur:* P Bb L Br] iniiciebantur.
4. *adhaerentem*] haerentem. — P Bb: *haberentem.*
8. *transiliendi:* P Bb Br] transsiliendi.
10. *Karthaginem:* P] Carthaginem.
11. *gravior:* P Bb L] gratior.
12. *adsiduas:* P] assiduas.
13. *quantumcumque:* P] quantumcunque.
13. *adfulserat:* R] affulserat. — P Bb: *adfulserant.*
14. *haut:* Bb] haud.
18. *quinto decumo:* P] quinto decimo.
19. *Massuli:* T] Massyli. — P Bb: *Masaesuli.* Br R: *Messuli.*

phax pulsis inde praefectis praesidiisque suis vetere se continebat regno, neuticam quieturus. stimulabat aegrum amore uxor socerque; et ita viris equisque habundabat, ut subiectae oculis regni per multos florentis annos vires etiam minus barbaro atque inpotenti animo spiritus possent facere. igitur omnibus, qui bello apti erant, in unum coactis equos arma tela dividit. equites in turmas, pedites cohortis, sicut quondam ab Romanis centurionibus didicerat, distribuit. exercitu haut minore quam quem prius habuerat, ceterum omni prope novo atque incondito, ire ad hostis pergit. et castris in propinquo positis primo pauci equites ex tuto speculantes ab stationibus progredi, dein iaculis summoti recurrere ad suos; inde excursiones in vicem fieri, et cum pulsos indignatio accenderet, plures subire: quod inritamentum certaminum equestrium est, cum aut vincentibus spes aut pulsis ira adgregat suos. ita tunc a paucis proclio accenso omnem utrimque postremo equitatum certaminis studium ecfundit. ac dum sincerum equestre proelium erat, multitudo

---

2. *neuticam:* P Bb L] neutiquam.
2. *stimulabat:* L Br R] stimulabant. — P Bb: *timulabat.*
4. *habundabat:* Bb L] abundabat.
5. *inpotenti:* P] impotenti.
8. *pedites cohortis:* P Bb L] pedites in cohortes.
10. *haut:* Bb] haud.
12. *ad hostis:* P Bb] ad hostes.
17. *inritamentum:* P Bb] irritamentum.
18. *adgregat:* P Bb] aggregat.
19. *ita tunc*] ita tum.
19. *proelio:* P Bb] praelio.
19. *utrimque:* P Bb] utrinque.
20. *ecfundit*] effudit. — P: *et fundit.*
21. *equestre proelium:* P] equestre praelium.

Masaesuliorum, ingentia agmina Syphace emittente, sustineri vix poterat: deinde ut pedes Romanus repentino per turmas suis viam dantis intercursu stabilem aciem fecit absterruitque effuse invehentem se hostem, primo barbari segnius permittere equos, dein stare, ac propere turbati novo genere pugnae postremo non pediti solum cedere, sed ne equitem quidem sustinere peditis praesidio audentem. iam signa quoque legionum adpropinquabant. tum vero Masaesuli non modo primum impetum sed ne conspectum quidem signorum atque armorum tulerunt: tantum seu memoria priorum cladium seu praesens terror valuit.

XII. Ibi Syphax, dum obequitat hostium turmis, si pudore si periculo suo fugam sistere posset, equo graviter icto effusus opprimitur capiturque, et ut visus laetum ante omnis Masinissae praebiturus spectaculum, ad Laelium pertrahitur.

Cirta capud regni Syphacis erat, eoque se in-

---

1. *Masaesuliorum:* P Bb] Masaesylorum.

3. *per turmas suis viam:* Br] per turmas suas viam. — P: *per turmas suam uiam*. Bb L: *per turmas uiam suam*.

3. *dantis:* P Bb L] dantes.

4. *invehentem se:* L] invehentem sese.

6. *dein stare:* P Bb L] deinde stare.

6. *ac propere:* P Bb] ac prope.

6. *turbati:* P Bb R] turbari.

9. *adpropinquabant:* P Bb] appropinquabant.

10. *Masaesuli:* P Bb M A F] Masaesyli. — L: *Massesuli*.

16. *et ut visus*] et vivus. — P Br: *et uisus*. Bb L: *ut uisus*.

17. *ante omnis:* P Bb] ante omnes.

19. *capud:* Bb] caput.

19. *eoque:* P Bb L Br R] eo. — In P Bb L excidit *se*.

gens hominum contulit vis. caedes in eo proelio minor quam victoria fuit, quia equestri tantummodo proelio certatum fuerat. non plus quinque milia occisa, minus dimidium eius hominum captum est impetu in castra facto, quo perculsa rege amisso multitudo se contulerat. Masinissa sibi quidem dicere nihil esse in praesentia pulcrius quam victorem recuperatum tanto post intervallo patrium invisere regnum, sed tam secundis quam adversis rebus non dari spatium ad cessandum: si se Laelius cum equitatu vinctoque Syphace Cirtam praecedere sinad, trepida omnia metu se oppressurum: Laelium cum peditibus subsequi modicis itineribus posse. adsentiente Laelio praegressus Cirtam convocari ad conloquium principes Cirtensium iubet. sed apud ignaros regis casus nec quae acta essent promendo nec minis nec suadendo ante valuit quam rex vinctus in conspectum datus esset. tum ad spectaculum tam foedum comploratio orta et partim pavore moenia sunt deserta, partim repentino consensu gratiam apud victorem quaerentium patefactae portae. et Masinissa praesidio circa portas oportunaque moenium dimisso ne cui fugae pateret exitus, ad regiam occupandam citato vadit equo. intranti vesti-

---

1. *in eo proelio:* Bb] in eo praelio.
3. *proelio:* P Bb] praelio.
3. *milia:* Bb] millia.
7. *pulcrius:* P Bb L Br] pulchrius.
11. *sinad:* Bb] sinat.
13. *adsentiente:* P Bb L] assentiente.
14. *convocari*] evocari. — P Bb L: *eo uocari.*
14. *ad conloquium:* P Bb] ad colloquium.
18. *datus esset:* P Bb L Br] datus est.
22. *oportunaque:* Bb] opportunaque.

bulum in ipso limine Sophoniba, uxor Syphacis, filia Hasdrubalis Poeni, occurrit, et cum in medio agmine armatorum Masinissam insignem cum armis tum cetero habitu conspexisset, et regem esse — id quod erat — rata genibus advoluta eius: „omnia quidem ut posses in nobis, di dederunt virtusque et felicitas tua: sed si captivae apud dominum vitae necisque suae vocem supplicem mittere licet, si genua si victricem attingere dexteram, precor quaesoque per maiestatem regiam, in qua paulo ante nos quoque fuimus, per gentis Numidarum nomen, quod tibi cum Syphace commune fuit, per huiusce regiae deos, qui te melioribus ominibus accipiant quam Syphacem hinc miserunt, hanc veniam supplici des, ut ipse quodcumque fert animus de captiva statuas, neque me in cuiusquam Romani superbum et crudele arbitrium venire sinas. si nihil aliud quam Syphacis uxor fuissem, tamen Numidae atque in eadem mecum Africa geniti quam alienigenae et externi fidem experiri mallem: quid Carthaginiensi ab Romano, quid filiae Hasdrubalis timendum sit, vides. si nulla re alia potes, morte me ut vindices ab Romanorum arbitrio oro optestorque.“ forma erat insignis et florentissima aetas: itaque cum modo dextram amplectens in id, ne cui Ro-

1. *Sophoniba:* P Bb] Sophonisba.
4. *et regem esse:* P Bb L Br R] regem esse.
6. *di dederunt:* P Bb] dii dederunt.
9. *dexteram:* P Bb] dextram.
10. *paulo:* P Bb L Br] paullo.
15. *quodcumque:* P Bb] quodcunque.
17. *superbum et crudele:* P Bb L] superbum ac crudele.
22. *nulla re alia:* P Bb L] nulla alia re.
23. *optestorque:* P] obtestorque.

mano traderetur, fidem exposceret, propiusque blanditias oratio esset quam preces, non in misericordiam modo prolapsus est animus victoris, sed, ut est genus Numidarum in Venerem praeceps, amore captivae victor captus: data dextera in id quod petebatur obligandae fidei, in regiam concedit. tum vero reputare secum ipse, quem ad modum promissi fidem praestaret: quod cum expedire non posset, ab amore temerarium atque impudens mutuatur consilium: nuptias in eum ipsum diem parari repente iubet, ne quid relinqueret integri aut Laelio aut ipsi Scipioni consulendi velud in captivam, quae Masinissae iam nupta foret. factis nuptiis supervenit Laelius, et adeo non dissimulavit improbare se factum, ut primo etiam cum Syphace et ceteris captivis detractam eam geniali mittere ad Scipionem conatus sit. victus deinde precibus Masinissae orantis ut arbitrium, utrius regum duorum fortunae accessio Sophoniba esset, ad Scipionem reiceret, misso Syphace et captivis ceteras urbes Numidiae, quae praesidiis regiis tenebantur, adiuvante Masinissa recepit.

XIIII. Syphacem in castra adduci cum esset nuntiatum, omnis velud ad spectaculum triumphi multi-

---

6. *tum vero reputare*] institit deinde reputare.
10. *parari repente iubet:* P Bb L] repente parari iubet.
12. *velud:* Bb] velut,
16. *detractam eam geniali:* P Bb L] detractam eam toro geniali.
19. *Sophoniba:* P Bb] Sophonisba.
19. *reiceret:* P Bb L] reiiceret.
21. *recepit:* Bb m. 1. T M A] recipit.
23. *nuntiatum:* P Bb] nunciatum.
24. *velud:* Bb] velut.

tudo effusa est. praecedebat ipse vinctus; sequebantur grex nobilium Numidarum. tum quantum quisque plurimum poterat magnitudini Syphacis, famae gentis victoriam suam augendo addebat: illum esse regem cuius tantum maiestati duo potentissimi in terris tribuerint populi Romanus Carthaginiensisque, ut Scipio imperator suus ad amicitiam eius petendam relicta provincia Hispania exercituque duabus quinqueremibus in Africam navigarit, Hasdrubal Poenorum imperator non ipse modo ad eum in regnum venerit, sed etiam filiam ei nuptum dederit. habuisse eum uno tempore in potestate duos imperatores Poenum Romanumque: sicut ab dis immortalibus pars utraque hostiis mactandis pacem petisset, ita ab eo utrimque pariter amicitiam petitam. iam tantas habuisse opes, ut Masinissam regno pulsum eo redegerit, ut vita eius fama mortis et latebris, ferarum modo in silvis rapto viventis, tegeretur. his sermonibus circumstantium celebratus rex in praetorium ad Scipionem est perductus. movit et Scipionem cum fortuna pristina viri praesenti fortunae conlata, tum recordatio hospitii dextraeque datae et foederis publice ac privatim iuncti. eadem haec et Syphaci animum dederunt in adloquendo victorem. nam cum Scipio quid sibi voluisset quae-

1. *sequebantur:* Bb] sequebatur.

2. *quantum quisque plurimum poterat:* P Bb L A] quantum quisque plurimum posset. — *poterat* etiam in Br R T M.

9. *navigarit:* Bb L A F] navigaverit.

13. *ab dis:* P] ab diis.

15. *utrimque:* P Bb] utrinque.

22. *conlata:* P Bb] collata.

24. *in adloquendo:* P Bb] in alloquendo.

25. *victorem:* P Bb L Br R] victore.

reret, qui non societatem solum abnuisset Romanam sed ultro bellum intulisset, tum ille peccasse quidem sese atque insanisse fatebatur, sed non tunc demum cum arma adversus populum Romanum cepisset: exitum sui furoris fuisse non principium: tunc se invasisse, tunc hospitia privata et publica foedera omnia ex animo eiecisse, cum Carthaginiensem matronam domum acceperit. illis nuptialibus facibus regiam conflagrasse suam; illam furiam pestemque omnibus delenimentis animum suum avertisse atque alienasse nec conquiesse, donec ipsa manibus suis nefaria sibi arma adversus hospitem atque amicum induceret. perdito tamen adque adflicto sibi hoc in miseriis solacii esse, quod in omnium hominum inimicissimi sibi domom ac penates eandem pestem ac furiam transisse videat. neque prudentiorem neque constantiorem Masinissam quam Syphacem esse, etiam iuventa incautiorem: certe stultius illum atque intemperantius eam quam se duxisse.

XIV. Haec non hostili modo odio sed amoris etiam stimulis amatam apud aemulum cernens cum dixisset, non mediocri cura Scipionis animum pepulit. et fidem criminibus raptae prope inter arma nuptiae neque consulto neque expectato Laelio fa-

---

3. *non tunc demum*] non tum demum.
6. *tunc se invasisse:* P Bb L] tunc se insanisse.
10. *delenimentis:* P] delinimentis.
13. *induceret:* P Bb L] induerit.
13. *adque:* P] atque.
13. *adflicto:* P Bb] afflicto.
14. *solacii:* P Bb] solatii.
15. *domom:* Bb] domum.
25. *expectato:* P Bb L Br] exspectato.

ciebant, tamque praeceps festinatio, ut quo die captam hostem vidisset, eodem matrimonio iunctam acciperet et ad penates hostis sui nuptiale sacrum conficeret. eo foediora haec videbantur Scipioni, quod ipsum in Hispania iuvenem nullius forma pepulerat captivae. haec secum volutanti Laelius ac Masinissa supervenerunt: quos cum pariter ambo et benigno vultu excepisset et egregis laudibus frequenti praetorio celebrasset, abductum in secretum Masinissam sic adloquitur: „aliqua te existimo, Masinissa, intuentem in me bona et principio in Hispania ad iungendum mecum amicitiam venisse, et postea in Africa te ipsum spesque omnis tuas in fidem meam commisisse. atqui nulla earum virtus est propter quas tibi adpetendus visus sim, qua ego aeque ac temperantia et continentia libidinum gloriatus fuerim. hanc te quoque ad ceteras tuas eximias virtutes, Masinissa, adiecisse velim. non est, non — mihi crede — tantum ab hostibus armatis aetatis nostrae periculum quantum ab circumfusis utique voluptatibus. qui eas sua temperantia frenavit ac domuit, multo maius decus maioremque victoriam sibi peperit quam nos Syphace victo habemus. quae me absente strenue ac fortiter fecisti, libenter et commemoravi et memini. cetera te ipsum reputare tecum quam me dicente erubescere malo.

---

8. *egregis:* P] egregiis.
10. *adloquitur:* P Bb] alloquitur.
12. *ad iungendum:* Bb] ad iungendam.
13. *omnis:* P Bb R T] omnes.
15. *tibi adpetendus*] appetendus tibi. — P Bb: *sibi adpetendus.*
20. *aetatis:* P Bb L Br R T] aetati.
21. *utique:* Bb L] undique.

Syphax populi Romani auspiciis victus captusque est: itaque ipse, coniunx, regnum, ager et oppida, homines qui incolunt, quidquid denique Syphacis fuit, praeda populi Romani est; et regem coniugemque eius, etiam si non civis Carthaginiensis esset, etiam si non patrem eius imperatorem hostium videremus, Romam oporteret mitti, ac senatus populique Romani de ea iudicium atque arbitrium esse, quae regem socium nobis alienasse atque in arma egisse praecipitem dicatur. vince animum. cave deformes multa bona uno vitio, et tot meritorum gratiam maiore culpa quam causa culpae est conrumpas."

XV. Masinissae haec audienti non rubor solum suffusus set lacrimae etiam obortae: et cum se quidem in potestate futurum imperatoris dixisset orassetque eum ut, quantum res sineret, fidei suae temere obstrictae consuleret, — promisisse enim se in nullius potestatem eam traditurum — ex praetorio in tabernaculum suum confusus concessit. ibi arbitris remotis cum crebro suspiritu et gemitu, quod facile ab circumstantibus tabernaculum exaudiri posset, aliquantum temporis consumpsisset, ingenti ad postremum edito gemitu eum ex servis vo-

2. *coniunx:* P L Br R] coniux.

2. *ager et oppida*] ager, oppida. — P: *ager e oppida.* Bb: *aggere oppida.*

3. *quidquid:* P L] quicquid.

9. *regem socium nobis:* P Bb] regem nobis socium.

12. *conrumpas:* P Bb] corrumpas.

15. *set:* L] sed.

19. *se in nullius p.:* P Bb L Br R] sese in nullius p.

21. *susp. et gemitu:* P Bb L Br] susp. [et gemitu].

24. *edito gemitu eum ex servis vocat, sub cuius fide regio more ad inc.*] edito gemitu fidum e servis vocat, sub

cat, sub cuius fide regio more ad incerta fortunae venenum erat, et mixtum in poculo ferre ad Sophonibam iubet, ac simul nuntiare, Masinissam libenter primam ei fidem praestaturum fuisse, quam vir uxori debuerit: quoniam eius arbitrium qui possint adimant, secundam fidem praestare, ne viva in potestatem Romanorum veniat: memor patris imperatoris patriaeque et duorum regum quibus nupta fuisset, sibi ipsa consuleret. hunc nuntium ac simul venenum ferens minister cum ad Sophonibam venisset: „accipio“ inquid „nuptiale munus neque ingratum, si nihil maius vir uxori praestare potuit. hoc tamen nuntia, melius me morituram fuisse, si non in funere meo nupsissem.“ non locuta est ferocius quam acceptum poculum nullo trepidationis signo dato inpavide hausit. quod ubi nuntiatum est Scipioni, ne quid aeger animi ferox iuvenis gravius consuleret, accitum eum extemplo nunc solatur,

nunc,

---

cuius custodia regio more ad inc. — P: *edito gemitu fidum e seruis uocat sub cuius, regio more ad inc.* Bb: *edito gemitu fidum e seruis uo sub cuius regia fide more ad inc.* L: *edito gemitu fido ex seruis uno accito sub cuius regio fide more ad inc.* Br: *edito gemitu fido ex seruis uno accito sub cuius custodia regio more ad inc.*

2. *Sophonibam:* P Bb] Sophonisbam.

3. *nuntiare:* P Bb] nunciare.

5. *quoniam eius arbitrium:* P Bb Br R] quoniam arbitrium eius.

6. *secundam fidem*] P Bb: *secundum fidem.*

9. *nuntium:* P Bb] nuncium.

10. *Sophonibam:* P Bb] Sophonisbam.

11. *inquid:* Bb] inquit.

13. *nuntia:* P] nuncia.

16. *inpavide:* P Bb] impavide.

16. *nuntiatum:* P Bb] nunciatum.

nunc, quod temeritatem temeritate alia luerit, tristioremque rem quam necesse fuerit fecerit, leniter castigat. postero die, ut a praesenti motu averteret animum eius, in tribunal escendit et contionem advocari iussit. ibi Masinissam primum regem appellatum eximisque ornatum laudibus aurea corona, aurea patera, sella curuli et scipione eburno, toga picta et palmata tunica donat. addit verbis honorem: neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse, quo unum omnium externorum dignum Masinissam populus Romanus ducat. Laelium deinde et ipsum conlaudatum aurea corona donat, et alii militares viri prout a quoque navata opera erat donati. his honoribus mollitur regis animus erectusque in spem propinquam sublato Syphace omnis Numidiae potiundae.

XVI. Scipio C. Laelio cum Syphace alisque captivis Romam misso, cum quibus et Masinissae legati profecti sunt, ipse ad Tyneta rursus castra refert, et quae munimenta incohaverat, permunit. Carthaginienses non brevi solum sed prope vano gaudio ab satis prospera in praesens oppugnatione classis perfusi, post famam capti Syphacis, in quo plus prope quam in Hasdrubale atque exercitu suo

4. *contionem:* P Bb] concionem.
6. *eximisque:* P] eximiisque.
7. *eburno:* P Bb] eburneo.
13. *conlaudatum:* P Bb] collaudatum.
15. *mollitur:* P Bb] mollitus.
18. *alisque:* P] aliisque.
20. *Tyneta:* P] Tuneta. — Bb L Br: *Tineta.*
20. *rursus:* P Bb L] rursum.
21. *incohaverat:* P] inchoaverat. — Bb: *in quo hauerat.*

3

spei reposuerunt, perculsi, iam nullo auctore belli ultra audito oratores ad pacem petendam mittunt triginta seniorum principes. id erat sanctius apud illos consilium maximaque ad ipsum senatum regendum vis. qui ubi in castra Romana et in praetorium pervenerunt, more adulantium — accepto credo ritu ex ea regione ex qua oriundi erant — procubuerunt. conveniens oratio tam humili adulationi fuit non culpam purgantium, sed transferentium initium culpae in Hannibalem potentiaeque eius fautores. veniam civitati petebant civium temeritate bis iam ante eversae, incolumi futurae iterum hostium beneficio. imperium ex victis hostibus populum Romanum non perniciem petere: paratis obedienter servire imperaret quae vellet. Scipio et venisse ea spe in Africam se ait, et spem suam prospero belli eventu auctam, victoriam se non pacem domum reportaturum esse. tamen cum victoriam prope in manibus habeat, pacem non abnuere, ut omnes gentes sciant, populum Romanum et suscipere iuste bella et finire. leges pacis se has dicere: captivos et perfugas et fugitivos restituant; exercitus ex Italia et Gallia deducant; Hispania apstineant; insulis omnibus quae inter Italiam atque Africam sint decedant; naves longas praeter viginti omnes tradant; tritici quingenta, hordei trecenta milia modium. pecuniae summam quantam impera-

1. *reposuerunt:* P Bb] reposuerant.
5. *et in praetorium:* P Bb] et praetorium.
15. *imperaret quae vellet:* P Bb] quae vellet, imperaret.
23. *apstineant:* P] abstineant.
25. *sint:* P Bb] sunt.
27. *milia:* Bb] millia.

verit, parum convenit: alibi quinque milia talentum, alibi quinque milia pondo argenti, alibi duplex stipendium militibus imperatum invenio. „his condicionibus“ inquid „placeatne pax, triduum at consultandum dabitur. si placuerit, mecum indutias facite, Romam ad senatum mittite legatos.“ ita dimissi Carthaginienses nullas recusandas condiciones pacis cum censuissent, quippe qui moram temporis quaererent dum Hannibal in Africam traiceret, legatos alios ad Scipionem ut indutias facerent, alios Romam ad pacem petendam mittunt, ducentis paucos in speciem captivos perfugasque et fugitivos, quo impetrabilior pax esset.

XVII. Multis ante diebus Laelius cum Syphace primoribusque Numidarum captivis Romam venit, quaeque in Africa gesta essent, omnia ordine exposuit patribus ingenti hominum et in praesens laetitia et in futurum spe. consulti inde patres regem in custodiam Albam mittendum censuerunt, Laelium retinendum donec legati Carthaginienses venirent. supplicatio in quadriduum decreta est. P. Aelius praetor senatu misso et contione inde advocata cum C. Laelio in rostra descendit. ibi vero audientes fusos Carthaginiensium exercitus, devictum et captum ingentis nominis regem, Numidiam

1. 2. *milia:* Bb] millia.
4. *inquid:* Bb] inquit.
4. *at consultandum:* P] ad consultandum.
9. *traiceret:* P Bb L] traiiceret.
11. *ducentis:* P Bb] ducentes.
17. *hominum:* P Bb L] omnium.
21. *in quadriduum:* P R] in quatriduum.
22. *contione:* P Bb] concione.
23. *descendit:* P] escendit.

omnem egregia victoria peragratam, tacitum continere gaudium non poterant, quin clamoribus quibusque aliis multitudo solet laetitiam inmodicam significarent. itaque praetor extemplo edixit uti aeditui aedes sacras tota urbe aperirent, circumeundi salutandique deos agendique grates per totum diem populo potestas fieret. postero die legatos Masinissae in senatum introduxit. gratulati primum senatui sunt quod P. Scipio prospere res in Africa gessisset; deinde gratias egerunt quod Masinissam non appellasset modo regem sed fecisset restituendo in paternum regnum, in quo post Syphacem sublatum, si ita patribus visum esset, sine metu et certamine esset regnaturus: dein conlaudatum pro contione amplissimis decorasset operibus, quibus ne indignus esset et dedisse operam Masinissam et porro daturum esse. petere ut regium nomen ceteraque Scipionis beneficia et munera senatos decreto confirmaret; ac nisi molestum esset, illud quoque petere Masinissam, ut Numidas captivos, qui Romae in custodia essent, remitterent: id sibi amplum apud populares futurum esse. ad ea responsum legatis: rerum gestarum prospere in Africa communem sibi cum rege gratulationem esse; Scipionem recte adque ordine videri fecisse quod eum regem appel-

3. *inmodicam:* P Bb L] immodicam.
14. *dein conlaudatum pro contione:* P Bb] dein quod collaudatum pro concione.
15. *decorasset operibus:* L] decorasset donis. — P Bb: *decorasset operam masinissam.* cetera exciderunt.
18. *senatos:* P] senatus.
19. *ac nisi*] et nisi. — P: *et ad nisi.*
23. *prospere in Africa:* P Bb] in Africa prospere.
24. *adque ordine:* P] atque ordine.

laverit, et quidquid aliut fecerit quod cordi foret Masinissae, id patres comprobare ac laudare. munera quae legati ferrent regi, decreverunt sagula purpurea duo com fibulis singulis et lato clavo tunicis, equos duo phaleratos, bina equestria arma cum loricis, et tabernacula militaremque suppellectilem, qualem praeberi consuli mos esset. haec regi praetor mittere iussus. legatis in singulos dona ne minus quinum millium, comitibus eorum millium aeris; et vestimenta bina legatis, singula comitibus Numidisque qui ex custodia emissi redderentur regi: ad hoc aedes liberae, loca, lautia legatis decreta.

XVIII. Eadem aestate qua haec decreta Romae et in Africa gesta sunt, P. Quintilius Varus praetor et M. Cornelius proconsul in agro Insubrum Gallorum cum Magone Poeno signis conlatis pugnarunt. praetoris legiones in prima acie fuerunt: Cornelius suas in subsidiis tenuit, ipse ad prima signa equo advectus: proque duobus cornibus praetor ac proconsul milites ad inferenda in hostis signa summa vi hortabantur. postquam nihil commovebant, tum Quintilius Cornelio: „lentior ut vides fit pugna, et induratus praeter spem resistendo ho-

---

1. *et quidquid aliut:* P] et quicquid aliud.

2. *id patres compr.*] ea patres compr. — P Bb: *eis patr.* L Br R T: *ei patr.*

4. *com:* P] cum.

4. *fibulis singulis:* P Bb L] fibulis aureis singulis.

5. *equos:* P Bb L Br R] et equos.

6. *suppellectilem:* Bb] supellectilem.

15. *Insubrum:* P Bb L] Insubrium.

16. *conlatis:* P Bb] collatis.

20. *in hostis:* P Bb] in hostes.

22. *tum Quintilius Cornelio:* P Bb L] tum Cornelio Quintilius.

stium timor, ac ne vertat in audaciam periculum est. equestrem procellam excitemus oportet, si turbare ac statu movere volumus, itaque vel tu ad prima signa proelium sustine, ego inducam in pugnam equites: vel ego hic in prima acie rem geram, tu quattuor legionum equites in hostem emitte." utram vellet praetor muneris partem proconsule accipiente, Quintilius praetor cum filio — cui Marco praenomen erat — inpigro iuvene ad equites pergit, iussosque escendere in equos repente in hostem emittit. tumultum equestrem auxit clamor ab legionibus additus: nec stetisset hostium acies, ni Mago ad primum equitum motum paratos elephantos extemplo in proelium induxisset: ad quorum stridorem odoremque et aspectum territi equi vanum equestre auxilium fecerunt. et ut, ubi in rem permixtus uti cuspide uti comminus gladio posset, roboris maioris Romanus eques erat, ita in ablatum paventibus procul equis melius ex intervallo Numidae iaculabantur. simul et peditum legio duodecima magna ex parte caesa pudore magis quam viribus tenebat locum, nec diutius tenuisset, ni ex subsidis tertia decuma legio in primam aciem inducta proe-

3. *movere.* — P Bb L; *moveri*,
4. *proelium:* P Bb] praelium.
9. *inpigro:* P Bb] impigro.
14. *proelium:* P Bb] praelium.
15. *aspectum:* P Bb L, Bs R] adspectum.
16. *et ut, ubi in rem permixtus uti cusp.* Havere.] et ut permixtus, ubi cusp. — P Bb: *et ut rem permixtus uti cuspide uti com.* — Forsitan rectius: *permissus.*
17. *comminus:* P Bb] et cominus.
22. *ex subsidis tertia decuma:* P]. ex subsidiis tertia decima.
23 *proelium:* P Bb] praelium.

lium dubium expetisset. Magoque ex subsidiis Gallos integrae legioni opposuit: quibus haut magno certamine fusis hastati legionis undecimae conglobant sese, atque elephantos iam peditum aciem turbantis invadunt. in quos cum pila confertos coniecissent, nullo ferme frustra emisso omnis retro in aciem suorum averterunt: quattuor gravati vulneribus conruerunt. tum prima commota hostium acies, simul omnibus equitibus, ut aversos videre elephantos, ad augendum pavorem ac tumultum effusis. set donec stetit ante signa Mago, gradum sensim referentes ordines et tenorem pugnae servabant: postquam femine transfixo cadentem auferrique ex proelio prope exsanguem videre, extemplo in fugam omnes versi. ad quinque milia hostium eo die caesa et signa militaria duo et viginti capta. nec Romanis incruenta victoria fuit: duo milia et trecenti de exercitu praetoris, pars multo maxima ex legione duodecima amissi. inde et tribuni militum duo M. Cosconius et M. Maevius, tertiae decimae

---

1. *expetisset:* P Bb L] excepisset.
1. *Magoque:* P Bb L R T M A F] Mago quoque.
2. *haut:* Bb] haud.
4. *turbantis:* P Bb L] turbantes.
6. *omnis:* P Bb] omnes.
8. *conruerunt:* P] corruerunt.
8. *tum prima:* P Bb L Br R] tum primum.
9. *omnibus equitibus*] omnibus peditibus.
11. *set:* Bb L] sed.
12. *ordines et tenorem:* P Bb L] ordines tenorem.
14. *proelio:* P Bb] praelio.
15. *milia:* P Bb] millia.
17. *milia*] millia.
20. *M. Maevius:* P Bb L Br] M. Maenius.

quoque legionis, quae postremo proelio adfuerat, C. Helvius tribunus militum in restituenda pugna cecidit; et duo et viginti ferme equites inlustres obtriti ab elephantis cum centurionibus aliquod perierunt. et longius certamen fuisset, ni vulnere ducis concessa victoria esset.

XIX. Mago proximae silentio noctis profectus, quantum pati viae per vulnus poterat itineribus extentis, ad mare in Ligures Ingaunos pervenit. ibi eum legati ab Carthagine paucis ante diebus in sinum Gallicum adpulsis navibus adierunt, iubentes primo quoque tempore in Africam traiceret: id et fratrem eius Hannibalem — nam ad eum quoque isse legatos eadem iubentis — facturum: non in eo esse Carthaginiensium res ut Galliam atque Italiam armis optineant. Mago non imperio modo senatus periculoque patriae motus, sed metuens etiam ne victor hostis moranti instaret, Liguresque ipsi, relinqui Italiam a Poenis cernentes, ad eos quorum mox in potestate futuri essent deficerent, simul sperans leviorem in navigatione quam in via iactationem vulneris fore et curationi omnia commodiora, impositis copiis in naves profectus vixdum superata

---

1. *proelio adfuerat:* P Bb] praelio affuerat.
2. *C. Helvius:* P Bb] Cn. Helvius.
3. *inlustres:* P Bb] illustres.
4. *aliquod:* Bb] aliquot.
7. *proximae silentio noctis:* P Bb L] proximae noctis silentio.
11. *adpulsis:* P Bb R] appulsis.
12. *traiceret:* P Bb L Br] traiicere.
14. *iubentis:* P Bb] iubentes.
16. *optineant:* P] obtineant.
21. *leviorem:* P F] leniorem.

Sardinia ex vulnere moritur, naves quoque aliquod Poenorum disiectae in alto a classe Romana, quae circa Sardiniam erant, capiuntur. haec terra marique in parte Italiae qua iacet ad Alpis gesta.

Consul C. Servilius nulla memorabili re in provincia Etruria et Gallia — quoniam eo quoque processerat — gesta, patre C. Servilio et C. Lutatio ex servitute post sextum decimum annum receptis, qui ad vicum Tannetum a Boiis capti fuerant, hinc patre hinc Catulo lateri circumdatis privato magis quam publico decore insignis Romam rediit. latum ad populum est, ne C. Servilio fraudi esset, quod patre qui sella curuli sedisset vivo, cum id ignoraret, tribunus plebis atque aedilis plebis fuisset contra quam sanctum legibus erat. hac rogatione perlata in provinciam rediit.

Ad Cn. Servilium consulem, qui in Bruttiis erat, Consentia Aufugum Bergae Besidiae Ocriculum Lymphaeum Argentanum Clampetia multique alii ignobiles populi senescere Punicum bellum cernentes deficere. idem consul cum Hannibale in agro Crotoniensi acie conflixit. obscura eius pugnae fama est. Valerius Antias quinque milia hostium caesa ait: quae tanta res est ut aut impudenter ficta sit aut neglegenter praetermissa. nihil certe ultra rei

1. *aliquod:* Bb] aliquot.
3. *erant:* P Bb L] erat.
4. *qua iacet ad Alpis:* P] quae iacet ad Alpes.
9. *Tannetum:* P Bb L] Tanetum.
18. *Aufugum Bergae:* P Bb L] Uffugum, Vergae.
18. *Ocriculum:* P] Hetriculum. — Bb: *Hocriculum.*
19. *Lymphaeum:* P Bb] Sypheum.
21. *deficere:* P Bb] defecere.
23. *milia:* Bb] millia.
25. *neglegenter:* P Bb] negligenter.

in Italia ab Hannibale gestum. nam ad eum quoque legati ab Carthagine vocantes in Africam iis forte diebus quibus ad Magonem venerunt.

XX. Frendens gemensque ac vix lacrimis temperans dicitur legatorum verba audisse. postquam edita sunt mandata, „iam non perplexe“ inquid „sed palam revocant, qui vetando supplementum et pecuniam mitti iam pridem trahebant. vicit ergo Hannibalem non populus Romanus totiens caesus fugatusque, sed senatus Carthaginiensis obtrectatione atque invidia. neque hac deformitate reditus mei tam P. Scipio exultabit atque ecferret sese quam Hanno, qui domum nostram, quando aliena re non potuit, ruina Carthaginis oppressit.“ iam hoc ipsum praesagiens animo praeparaverat ante naves: itaque inutili militum turba praesidii specie in oppida Brutti agri, quae pauca magis metu quam fide continebantur, dimissa, quod roboris in exercitu erat in Africam transvexit, multis Italici generis, quia in Africam secuturos abnuentes concesserant in Iunonis Laciniae delubrum inviolatum ad eam diem, in templo ipso foede interfectis. raro quemquam alium, patriam exilii causa relinquentem, tam maestum abisse ferunt quam Hannibalem hostium terra excedentem. respexisse saepe Italiae litora et deos hominesque

6. *inquid:* Bb] inquit.
8. *trahebant:* P Bb L] retrahebant.
9. *totiens:* P Bb] toties.
12. *exultabit:* P Bb L Br] exsultabit.
12. *ecferret*] efferet. — P: *et ferret*. L: *efferet.*
13. *aliena re:* P Bb L] alia re.
16. *Brutti agri:* P] Bruttii agri.
23. *exilii:* P Bb L Br] exsilii.
25. *litora:* P L Br] littora.

ntem, in se quoque ac suum ipsius caput tum, quod non cruentum ab Cannensi victo- litem Romam duxisset. Scipionem ire ad Car- em ausum, qui consul hostem Poenum in non vidisset: se centum milibus armatorum asumennum aut Cannas caesis circa Casili- Cumasque et Nolam consenuisse. haec accu- querensque ex diutina possessione Italiae est ctus.

XXI. Romam per eosdem dies et Magonem nnibalem profectos allatum est. cuius duplicis lationis minuit laetitiam et quod parum duces tinendis iis, cum ad id mandatum ab senatu aut animi aut virium habuisse videbantur: et solliciti erant, omni belli mole in unum exer- ducemque inclinata quo evasura esset res. per m dies legati Saguntini venerunt conprensos pecunia adducentes Carthaginiensis, qui ad con- nda auxilia in Hispaniam traiecissent: ducenta

---

2. *execratum:* P Bb L Br] exsecratum,
4. *hostem Poenum in Italia:* P Bb L] hostem in Ita- enum.
5. *milibus:* Bb] millibus.
6. *ad Trasumennum aut Cannas:* P Bb] ad Trasi- n et Cannas. — *aut* etiam in L.
3. *ad id:* Bb L] id.
3. *mandatum ab senatu esset,* — P Bb: *mandatum natu esse.*
5. *in unum exercitum ducemque:* P Bb L] in unum exercitumque.
7. *conprensos:* P] comprehensos.
8. *Carthaginiensis:* P Bb] Carthaginienses.
8. *ducenta et quinquaginta auri, octingenta pondo ti:* M A F] ducentum et quinquaginta auri, octingen- ondo argenti. — P: *ducentū et l. auri dccc. pondo*

et quinquaginta auri, octingenta pondo argen vestibulo curiae posuerunt. hominibus accept carcerem conditis, auro argentoque reddito, gr legatis actae, atque insuper munera data ac n quibus in Hispaniam reveherentur. mentio de ab senioribus facta est, segnius homines bona q mala sentire. transitu in Italiam Hannibalis q tum terroris pavorisque esse meminisse; quas de clades, quos luctus incidisse! visa castra hostiu muris urbis: quae vota singulorum universorum fuisse! quotiens in conciliis voces manus ad cae porgentium auditas, en unquam ille dies fut esse quo vacuam hostibus Italiam bona pace rentem visuri essent! dedisse id deos tandem s decimo demum anno: nec esse, suis qui deis tes agendas censeant. adeo ne advenientem qui gratiam homines benigne accipere, nedum ut p teritae satis memores sint. conclamatum deinde omni parte curiae est uti referret P. Aelius p tor, decretumque ut quinque dies circa omnia p vinaria supplicaretur victumaeque maiores imm rentur centum viginti.

argenti. Bb: *ducentū et quinquaginta auri octingen pondo argenti.*

2. *hominibus acceptis in carc.:* P Bb] hominibus ceptis et in carc.

5. *reveherentur*] reverterentur. — P: *reuerentur.*

8. *esse meminisse:* P Bb L] sese meminisse.

11. *quotiens:* P Br R] quoties.

12. *porgentium:* P] porrigentium.

12. *futurus esse:* P Bb] futurus esset.

14. *dedisse id deos tandem:* P Bb L Br R] dedi tandem id deos.

15. *nec esse, suis qui deis*] nec esse qui diis. — P L: *nec esse fuit qui deis.*

21. *victumaeque:* P Bb] victimaeque.

ham demisso Laelio legatisque Masinissae cum aginiensium legatos de pace ad senatum venis Puteolis visos, inde terra venturos allatum revocari C. Laelium placuit, ut coram eo de ageretur. Q. Fulvius Gillo, legatus Scipionis, aginienses Romam adduxit: quibus vetitis in urbem hospitium in villa publica, senatus ad m Bellonae datus est.

XXII. Orationem eandem ferme quam apud onem habuerunt, culpam omnem belli a puconsilio in Hannibalem vertentes: eum iniussu ns non Alpis modo sed Hiberum quoque transnm, nec Romanis solum sed ante etiam Saiis privato consilio bellum intulisse. senatui pulo Carthaginiensi, si quis vere aestimet, a ad eam diem inviolatum esse cum Romanis. e nihil aliud sibi mandatum esse uti peterent, a ut in ea pace quae postremo cum consule tio facta esset, manere liceret. cum more tra a patribus potestatem interrogandi, si quis quid t, legatos praetor fecisset, senioresque qui foebus interfuerant, alia alii interrogarent, nec meisse per aetatem — etenim omnes ferme iuveerant — dicerent legati, conclamatum ex omni i curiae est, Punica fraude electos qui veterem em repeterent, cuius ipsi non meminissent.

XXIII. Emotis deinde curia legatis sententiae rrogari coeptae. M. Livius C. Servilium consu-

1. *demisso:* P Bb] dimisso.
2. *venientis:* P Bb] venientes.
12. *Alpis:* P Bb] Alpes.
12. *Hiberum:* P Bb R] Iberum. — L: *hyberum.*
19. *tradito a patribus:* P Bb L Br] tradito patribus.
24. *ex omni parti:* Bb] ex omni parte.

lem qui propior esset arcessendum, ut cora de pace ageretur, censebat: cum de re maiore quanta ea esset consultatio incidere non p non videri sibi absente consulum altero ambo eam rem agi satis ex dignitate populi Romani Q. Metellus, qui triennio ante consul dictat fuerat: cum P. Scipio caedendo exercitus, agro pulando in eam necessitatem hostis compuliss supplices pacem peterent, et nemo omnium v existumare posset, qua mente ea pax peter quam qui ante portas Carthaginis bellum ge nullius alterius consilio quam Scipionis accipie abnuendamve pacem esse. M. Valerius Laev qui bis consul fuerat, speculatores non legato nisse arguebat, iubendosque Italia excedere et stodes cum iis usque ad naves mittendos, Sc nique scribendum ne bellum remitteret. La Fulviusque adiecerunt, et Scipionem in eo posi habuisse spem pacis, si Hannibal et Mago ex lia non revocarentur: omnia simulaturos Cart nienses duces eos exercitusque spectantis: de quamvis recentium foederum et deorum omn oblitos bellum gesturos. eo magis in Laevini tentiam discessum. legati pace infecta ac prope responso dimissi.

XXIV. Per eos dies Cn. Servilius consul, h dubius quin pacatae Italiae penes se gloria es

---

8. *hostis:* P Bb] hostes.

10. *existumare:* P] existimare.

11. *quam qui*] quam is qui. — P Bb L Br R T: *q eum qui.*

21. *spectantis:* P] exspectantes.

25. *responso:* P Bb L Br] responsu.

27. *gloria esset.* — P Bb: *gloriaesset.* — *gloria's*

velud pulsum ab se Hannibalem persequens in Siciliam, inde et Africam transiturus, traiecit. quod ubi Romae vulgatum est, primo censuerant patres, ut praetor scriberet consuli, senatum aequum censere in Italiam reverti eum: dein cum praetor spreturum eum litteras suas diceret, dictator ad id ipsum creatus P. Sulpicius pro iure maioris imperi consulem in Italiam revocavit. relicuum anni cum M. Servilio magistro equitum circumeundis Italiae urbibus, quae bello alienatae fuerant, noscendisque singularum causis consumpsit.

Per indutiarum tempus et ex Sardinia ab Lentulo praetore centum onerariae naves cum commeatu viginti rostratarum praesidio et ab hoste et ab tempestatibus mari tuto in Africam transmiserunt. Cn. Octavio ducentis onerariis triginta longis navibus ex Sicilia traicienti non eadem fortuna fuit. in conspectum ferme Africae prospero curso vectum primo destituit ventus, deinde versus in Africum turbavit, ac passim naves disiecit. ipse cum rostratis per adversos fluctus ingenti remigum labore enisus Apollinis promunturium tenuit; onerariae pars maxima ad Aegimurum — insula ea sinum ab alto

---

1. *velud:* Bb] velut.

1. *in Siciliam inde et Africam:* P Bb] in Siciliam inde in Africam.

3. *censuerant:* P] censuerunt.

7. *imperi:* P] imperii.

8. *relicuum:* P] reliquum.

14. *viginti rostratarum praesidio:* P Bb L Br R] et viginti rostratarum praesidio.

17. *traicienti:* P Bb] traiicienti.

18. *curso:* Bb] cursu.

22. *promunturium:* P] promontorium. — Bb: *promuntorium.*

claudit, in quo sita Carthago est, triginta ferme milia ab urbe — aliae adversus urbem ipsam ad Calidas Aquas delatae sunt. omnia in conspectu Carthaginis erant. itaque ex tota urbe in forum concursus est. magistratus senatum vocare, populus in curiae vestibulo fremere, ne tanta ex oculis manibusque amitteretur praeda. cum quidam pacis petitae, alii indutiarum — necdum enim dies exierat — fidem opponerent, permixto paene senatus populique concilio consensum est, ut classem quinquaginta navium Hasdrubal Aegimurum traiceret, inde per litora portusque dispersas Romanas naves colligeret. desertae fuga nautarum primum ab Aegimuro, deinde ab Aquis onerariae Carthaginem pupibus tractae sunt.

XXV. Nondum ab Roma reverterant legati neque sciebatur quae senatus Romani de bello aut pace sententia esset, necdum indutiarum dies exierat. eo indigniorem iniuriam ratus Scipio, ab his qui petissent pacem et indutias, et spem pacis et fidem indutiarum violatam esse, legatos Carthaginem L. Baebium M. Servilium L. Fabium extemplo

---

1. *milia:* Bb] millia.
4. *concursus est:* P Bb] concursum est.
9. *paene:* P Bb] pene.
10. *classem:* P Bb] classe.
11. *traiceret:* P] traiiceret.
11. *per litora:* P Br R] per littora.
14. *deinde:* P Bb] dein.
14. *pupibus:* Bb R] puppibus.
19. *ab his:* Bb] ab iis.
20. *qui petissent:* P Bb L R T M A F] qui petiisent.
22. *L. Baebium M. Servilium L. Fabium:* P Bb L Br R T M A F] L. Baebium L. Sergium L. Fabium.

plo misit. qui cum multitudinis concursu prope violati essent nec reditum tutiorem futurum cernerent, petierunt a magistratibus, quorum auxilio vis prohibita erat, ut naves mitterent quae se prosequerentur. datae trieres duae. cum ad Bagardam flumen pervenissent, unde castra Romana conspiciebantur, Carthaginem rediere. classis Punica ad Uticam stationem habebat. ex ea tres quadriremes — seu clam misso a Carthagine nuntio uti fieret, seu Hasdrubale qui classi praeerat sine publica fraude auso facinus — quinqueremem Romanam superantem promunturium ex alto repente adgressae sunt. sed neque rostro ferire celeritate superlabentem poterant, neque transilire armati ex humilioribus in altiorem navem. et defendebatur egregie, quoad tela suppeditarunt: quis deficientibus iam nulla alia res eam quam propinquitas terrae multitudoque a castris litus effusa tueri potuisset: concitatam enim remis quanto maximo impetu poterant in terram cum inmisissent, navis tantum iactura facta, incolumes ipsi evaserunt. ita alio super aliud scelere cum haud dubie indutiae ruptae essent, Laelius Fulviusque ab

2. *futurum cernerent:* P Bb F] cernerent futurum.
4. *prosequerentur.* — Bb: persequerentur.
5. *trieres:* Bb] triremes. — P: *triremis.*
5. *ad Bagardam:* L] ad Bagradam
9. *nuntio:* P Bb] nuncio.
11. *promunturium:* P Bb] promontorium.
12. *adgressae sunt:* P Bb] aggressae sunt.
13. *superlabentem:* P Bb L] subterlabentem.
16. *iam nulla:* P Bb L Br T M A] cum iam nulla.
18. *litus effuso:* P L] in littus effusa.
18. *concitatam enim remis:* P Bb L Br R M A] concitatam remis.
19. *inmisissent:* Bb] immisissent.

Roma cum legatis Carthaginiensibus supervenerunt. quibus Scipio, etsi non indutiarum fides modo a Carthaginiensibus sed ius etiam gentium in legatis violatum esset, tamen se nihil nec institutis populi Romani nec suis moribus indignum in iis facturum esse cum dixisset, dimissis legatis bellum parabat.

Hannibali iam terrae adpropinquanti iussus e nauticis unus escendere in malum, ut specularetur quam tenerent regionem, cum dixisset sepulchrum dirutum proram spectare, abominatus praetervehi iusso gubernatore ad Leptim adpulit classem adque ibi copias exposuit.

XXVI. Haec eo anno in Africa gesta. insequentia excedunt in eum annum quo M. Servilius, qui tunc magister equitum erat, et Ti. Claudius Nero consules facti sunt. ceterum exitu superioris anni cum legati sociarum urbium ex Graecia questi essent, vastatos agros ab regiis praesidiis profectosque in Macedoniam legatos ad res repetendas non admissos ad Philippum regem; simul nuntiassent, quattuor milia militum cum Sopatro duce traiecta in Africam dici ut essent Carthaginiensibus praesidio, et pecuniae aliquantum una missum: legatos ad regem, qui haec adversus foedus facta vi-

---

2. *non indutiarum fides modo:* P Bb L Br R T M A] non indutiarum modo fides.
6. *dimissis legatis:* P Bb] legatis dimissis.
7. *adpropinquanti:* P Bb] appropinquanti.
9. *sepulchrum:* P R] sepulcrum.
11. *adpulit:* P Bb] appulit.
11. *adque:* P] atque.
14. *M. Servilius:* P Bb L] M. Servilius Geminus.
15. *qui tunc*] qui tum.
20. *nuntiassent:* P Bb] nunciassent.
21. *milia:* Br] millia.

deri patribus nuntiarent, mittendos censuit senatus. missi C. Terentius Varro C. Mamilius M. Aurelius. iis tres quinqueremes datae.

Annus insignis incendio ingenti, quo clivus Puplicius ad solum exustus, et aquarum magnitudine set annonae vilitate fuit, praeterquam quod pace omnis Italia erat aperta, etiam quod magnam vim frumenti ex Hispania missam M. Valerius Falto et M. Fabius Buteo aediles curules quaternis aeris vicatim populo discripserunt.

Eodem anno Quintus Fabius Maximus moritur exactae aetatis, si quidem verum est augurem duos et sexaginta annos fuisse, quod quidam auctores sunt. vir certe fuit dignus tanto cognomine, vel si novum ab eo inciperet. superavit paternos honores, avitos aequavit. victoris et maioribus proeliis avus insignis Rullus: sed omnia aequare unus hostis Hannibal potest. cautior tamen quam promptior hic habitus: et sicut dubites, utrum ingenio cunctatior fuerit an quia ita bello proprie, quod tunc gerebatur, aptum erat, sic nihil certius est quam unum hominum nobis cunctando rem restituisse, sicut En-

---

1. *nuntiarent:* P Bb] nunciarent.
4. *clivus Puplicius:* Bb m. 1.] clivus Publicius.
5. *exustus:* P Bb L] exustus est.
6. *set:* L] sed. — P Bb: *si.*
6. *annonae vilitate:* Bb T M A F] annonae vilitas.
10. *discripserunt:* P] descripserunt.
11. *Quintus:* P] Q.
16. *victoris:* P Bb] pluribus victoriis. — L: *uictorib'.*
16. *proeliis:* P] praeliis.
18. *hic habitus:* P Bb] hic habitus fuit.
19. *cunctatior:* Bb Br R T M A] cunctator.
20. *quod tunc*] quod tum.
21. *unum hominum:* P] unum hominem.

nius ait. augur in locum eius inauguratus Quintus Fabius Maximus filius; in eiusdem locum pontifex — nam duo sacerdotia habuit — Ser. Sulpicius Galba.

Ludi Romani diem unum, plebei ter toti instaurati ab aedilibus M. Sextio Sabino et Cn. Tremelio Flacco. ii ambo praetores facti, et cum iis C. Livius Salinator et C. Aurelius Cotta. comitia eius anni utrum C. Servilius consul habuerit an, quia eum senatus in Etruria tenuerit quaestiones ex senatus consulto de coniurationibus principium habentem, dictator ab eo dictus P. Sulpicius, incertum ut sit diversi auctores faciunt.

XXVII. Principio insequentis anni M. Servilius et Ti. Claudius senatu in Capitolium vocato de provinciis rettulerunt. Italiam atque Africam in sortem coici, Africam ambo cupientes volebant. ceterum Q. Metello maxime adnitente neque negata neque data est Africa. consules iussi cum tribunis plebis agere ut si is videretur, populum rogarent,

---

1. *Quintus:* P] Q.

5. *plebei:* P Bb L Br] plebeii.

6. *Tremelio:* L Br] Tremellio.

9. *quia eum senatus in Etr.*] quia eum in Etr. — P Bb: *quia eum sinetruria.* Br R T M A F: *quia eum res in Etr.*

10. *tenuerit:* Bb] tenuerint.

11. *de coniurationibus principium:* P] de coniurationibus principum.

11. *habentem:* P Bb L Br R T M A F] habendae.

17. *coici:* P Bb] coniici. — L Br: *conici.*

18. *adnitente:* L Br R] annitente. — P Bb: *adnitentes.*

18. *neque negata neque data est:* P Bb] neque data neque negata est.

20. *si is videretur:* P L] si iis videretur. — Bb: *si his videretur.*

quem vellent in Africam bellum gerere. omnes tribus P. Scipionem iusserunt. nihilo minus consules provinciam Africam — ita enim senatus decreverat — in sortem coniecerunt. Ti. Claudio Africa evenit, ut quinquaginta navium classem, omnis quinqueremes, in Africam traiceret parique imperio cum Scipione imperatore esset. M. Servilius Etruriam sortitus. in eadem provincia et C. Servilio prorogatum imperium, si consulem manere ad urbem senatu placuisset. praetores M. Sextius Galliam est sortitus, ac duas legiones provinciamque traderet ei P. Quintilius Varus; C. Livius Bruttios cum duabus legionibus, quibus P. Sempronius proconsul prioris anni praefuerat; Cn. Tremelius Siciliam, ut a P. Villio Tappulo praetore prioris anni provinciam et duas legiones acciperet; Villius propraetor viginti navibus longis, militibus mille oram Siciliae tutaretur: M. Pomponius viginti navibus reliquis mille et quingentos milites Romam deportaret. C. Aurelio Cottae urbana evenit, ceteris ita uti quis-

---

1. *quem vellent in Africam bellum gerere:* P Bb Br] quem vellet in Africa bellum gerere.

5. *omnis:* Br] omnes.

6. *traiceret:* P L Br] traiiceret.

6. *cum Scipione imperatore esset*] cum Scipione imperator esset. — Br: *imperatori.*

9. *senatu*] senatui. — P: *senatum*, Bb L: *senatū.*

11. *ac duas legiones:* Bh] ut duas legiones. — P L: *ad duas legiones.*

13. *proconsul prioris anni:* P Bb L Br R T M A] proconsul priore anno.

14. *Tremelius:* P Br] Tremellius. — Bb L: *remelius.*

15. *ut a P. Villio:* P Bb] ut ab P. Villiō.

18. *M. Pomponius:* P Bb L] inde M. Pomponiū.

que optinebant provincias exercitusque, prorogata imperia. sedecim non amplius eo anno legionibus defensum imperium est. et ut ab placatis dis omnia inciperent agerentque, ludos quos M. Claudio Marcello T. Quinctio consulibus T. Manlius dictator quasque hostias maiores voverat, si per quinquennium res publica eodem statu fuisset, ut eos ludos consules prius quam ad bellum proficiscerentur, facerent. ludi in circo per quadriduum facti hostiaeque quibus votae erant dis caesae.

XXVIII. Inter haec simul spes simul cura in dies crescebat, nec satis certum constare aput animum poterat, utrum gaudio dignum esse, Hannibalem post sextum decimum annum ex Italia decedentem vacuam possessionem eius reliquisse populo Romano, an magis metuendum quod incolomi exercitu in Africam transisset. locum nimirum non periculum mutatum: cuius tantae dimicationis vatem, qui nuper decessisset, Q. Fabium haut frustra canere solitum, graviorem in sua terra futurum hostem Hannibalem quam in aliena fuisset. nec Scipioni aut cum Syphace inconditae barbariae rege, cui Statorius se-

---

1. *optinebant:* P M] obtinebant.
2. *sedecim:* T M] sexdecim. — P Bb: XVI.
3. *et ut ab plac.:* Bb] et ut plac.
3. *dis:* P] diis.
5. *T. Quinctio:* P] T. Quintio.
6. *per quinquennium:* P Bb] per quinquennium illud.
9. *per quadriduum:* P Bb] per quatriduum.
10. *dis:* P Bb] diis.
12. *aput:* P] apud.
13. *dignum esse:* P Bb] dignum esset.
16. *incolomi:* Bb] incolumi.
19. *haut*] haud. — P Bb: *aut*.

milixa ducere exercitus solitus esset, aut cum socero eius Hasdrubale fugacissimo duce rem futuram, aut tumultuaris exercitibus, ex agrestium semermi turba subito coniectis, sed cum Hannibali, prope nato in praetorio patris fortissimi ducis, alito atque educato inter arma, puero quondam milite, vixdum iuvene imperatore, qui senex vincendo factus Hispanias Gallias Italiam ab Alpibus ad fretum monumentis ingentium rerum complesset: ducere exercitum aequalem stipendiis suis, duratum omnium rerum patientia quas vix fides fiat homines passos, perfusum milliens cruore Romano, exuvias non militum tantum sed etiam inperatorum portantem. multos occursuros Scipioni in acie qui praetores, qui imperatores, qui consules Romanos sua manu occidissent, muralibus vallaribusque insignes coronis pervagatos capta castra captas urbes Romanas. non esse hodie tot fasces magistratibus populi Romani, quod captos ex caede imperatorum praeferre posset Hannibal. has formidines agitando animis ipsi curas et metus augebant, etiam quod cum adsuessent per aliquod annos bellum ante oculos aliis atque aliis in Italiae partibus lenta spe in nullum

---

1. *solitus esset:* Br] solitus sit. — P Bb: *solitus ut.* L: *solit' aut.*
3. *tumultuaris:* P Bb L] tumultuariis.
3. *semermi:* F] semiermi. — P Bb: *semeruit.*
4. *coniectis:* P Bb L] collectis.
4. *Hanniboli:* P] Hannibale.
9. *ducere:* P Bb L Br R T M A F] duceret.
12. *milliens:* P Bb] millies.
13. *inperatorum:* P] imperatorum.
19. *quod:* P Bb] quot.
21. *adsuessent:* P Bb R] assuessent.
22. *aliquod:* P Bb] aliquot.

propinquum debellandi finem geri, erexerant omnium animos Scipio et Hannibal velud ad supremum certamen comparati duces. ei quoque quibus erat ingens in Scipione fiducia et victoriae spes, quo magis in propinquam eam imminebant animis, eo curae intentioris. haud dispar habitus animorum Carthaginiensibus erat, quos modo petisse pacem intuentis Hannibalem ac rerum gestarum eius magnitudinem paenitebat, modo cum respicerent bis sese acie victos, Syphacem captum, pulsos se Hispania, pulsos Italia, atque ea omnia unius virtute et consilio Scipionis facta, velud fatalem eum ducem in exitium suum natum horrebant.

XXIX. Iam Hadrumetum venerat Hannibal: unde, ad reficiendum ex iactatione maritima militem paucis diebus sumptis, excitus pavidis nuntiis omnia circa Carthaginem optineri armis adferentium,

---

1. *geri*] gerere. — P: *gerere eree ereexerant:* priore *eree* expuncto.

2. *velud:* Bb] velut.

2. *supremum:* P L] supremum.

3. *ei quoque:* P Bb] iis quoque. — Br R T M A F: *ii quoque.*

3. *quibus erat ingens:* P Bb Br R T M] quibus ingens erat.

5. *eo curae intentioris*] eo curae intentiores erant. — P Bb: *eo curas intentioris.* L: *eorum curas intentioris.* Br R T M A F: *eo curae intentioris erant.*

7. *intuentis:* P Bb] intuentes.

12. *velud:* Bb] velut.

14. *Hadrumetum:* P Bb] Adrumetum. — L: *Hasdrumetum.*

16. *nuntiis:* P Bb] nunciis.

17. *optineri:* P L M] obtineri.

17. *adferentium:* P Bb L R] afferentium.

magnis itineribus Zamam contendit. Zama quinque dierum iter a Carthagine abest. inde praemissi speculatores cum, excepti a custodibus Romanis deducti ad Scipionem essent, traditos eos tribunis militum iussosque omisso metu visere omnia per castra, qua vellent circumduci iussit; percunctatosque, satin per commodum omnia explorassent, datis qui prosequerentur, retró ad Hannibalem dimisit. Hannibal nihil quidem eorum quae nuntiabantur — nam et Masinissam cum sex milibus peditum, quattuor equitum venisse eo ipso forte die adferebant — laeto animo audit: set maxime hostis fiducia, quae non de nilo profecto concepta, percussus est. itaque quamquam et ipse causa belli erat et adventu suo turbaverat et pactas indutias et spem foederum, tamen si integer quam si victus peteret pacem, aequiora impetrari posse ratus, nuntium ad Scipionem misit ut conloquendi secum potestatem faceret. id utrum sua sponte fecerit an publico consilio, neutrum cur adfirmem habeo. Valerius Antias primo

---

2. *a Carthagine:* P Bb] *ab Carthagine.*

6. *percunctatosque:* P Bb M A] percunctatusque. — L: *percunctādosque.* Br R T: *percontatosque.*

9. *nuntiabantur:* P] nunciabantur.

10. *milibus:* Bb Br R] millibus.

11. *adferebant:* P Bb] afferebant.

12. *audit:* P Bb L] audiit.

12. *set maxime*] maxime. — P Bb L: *maxime si.*

13. *non de nilo:* P] non de nihilo. — Bb: *non de ilo.*

13. *concepta, percussus est:* P Bb L] concepta esset, perculsus. — Br R T M A F: *concepta ē perculsus.*

14. *quamquam:* P] quanquam.

17. *nuntium:* P] nuncium.

18. *conloquendi:* P Bb] colloquendi.

20. *adfirmem:* P Bb] affirmem.

proelio victum eum a Scipione, quo duodecim milia armatorum in acie sint caesa, mille et septingenti capti, legatum cum aliis decem legatis tradit in castra ad Scipionem venisse. ceterum Scipio cum conloquium haud abnuisset, ambo ex composito duces castra protulerunt, ut coire ex propinquo possent. Scipio haud procul Naraggara urbe cum ad cetera loco opportuno, tum quod aquatio intra teli coniectum erat, consedit. Hannibal tumulum a quattuor milibus inde, tutum commodumque alioqui nisi quod longinquae aquationis erat, cepit. ibi in medio locus conspectus undique, ne quid insidiarum esset, dilectus.

XXX. Summotis par in spatium armatis cum singulis interpretibus congressi sunt non suae modo aetatis maximi duces sed omnis ante se memoriae, omnium gentium cuilibet regum imperatorumve pares. paulisper alter alterius conspectu admiratione mutua prope attoniti conticuere. tum Hannibal prior: „si hoc ita fato datum erat, ut qui primus bellum intuli populo Romano quique totiens prope in manibus victoriam habui, is ultro ad pacem petendam

---

1. *proelio:* P] praelio.
1. *milia:* Bb Br R] millia.
2. *sint caesa:* Fa, Gron. — P Bb L: *sunt caesa.* Br: *cesa sunt.*
5. *conloquium:* P Bb] colloquium.
8. *cum ad cetera:* P Bb] tum ad cetera.
10. *milibus:* Bb Br R] millibus.
11. *alioqui:* P M A F] alioquin. — Bb: *alioquinsi.*
13. *dilectus:* P Bb] delectus.
14. *par in spatium:* Bb L] pari spatio. — P: *par in spatio.*
18. *paulisper:* P Bb L Br] paullisper.
21. *totiens:* P Bb Br R] toties.

ιirem, laetor te mihi sorte potissimum datum o peterem. tibi quoque inter multa egregia non ultimis laudum hoc fuerit, Hannibalem, cui tot Romanis ducibus victoriam di dedissent, tibi cesse, teque huic bello, vestris plus quam nostris ıdibus insigni, finem imposuisse. hoc quoque luorium casus ediderit fortuna, ut, cum patre tuo nsule ceperim arma, cum eodem primum Roano imperatore signa contulerim, ad filium eius ırmis ad pacem petendam veniam. optimum quim fuerat eam patribus nostris mentem datam ab esse, ut et vos Italiae et nos Africae imperio ntenti essemus: neque enim ne vobis quidem Siciac Sardinia satis digna pretia sunt pro tot classus, tot exercitibus, tot tam egregiis amissis duous. sed praeterita magis reprehendi possunt quam orrigi. ita aliena adpetimus ut de nostris dimicamus, nec in Italia solum vobis bellum nobis in frica esset: sed et vos in portis vestris prope ac oenibus signa armaque hostium vidistis, et nos ab arthagine fremitum castrorum Romanorum exauimus. quod igitur nos maxime abominamur, vos utem ante omnia optaretis, in meliore vestra forına de pace agitur. agimus ei quorum maxime in-

---

2. *quo peterem:* P] a quo peterem.
4. *di:* P] dii.
5 *vestris plus quam n.:* P Bb L Br R T M A] vetris prius quam n.
12. *dis:* P] diis.
17. *adpetimus:* P Bb] appetivimus. — L: *appetimus.*
22. *abominamur:* Bb] abominaremur. — P: *auominamur.*
22. *vos autem ante omnia:* Bb L Br R T M A] vos ante omnia.
24. *agimus ei quorum maxime int.:* P Bb L] agimus quorum et maxime int.

terest pacem esse, et qui quodcumque egerim ratum civitates nostrae habiturae sint: animo tant nobis opus est non abhorrente a quietis consili quod ad me adtinebat, aetas senem in patriam r vertentem unde puer profectus sum, iam secund iam adversae res ita fraudaverunt ut rationem seq quam fortunam malim. tuam et adulescentiam perpetuam felicitatem, ferociora utraque quam qui tis opus est consiliis, metuo. non temere incerta c suum repugnet, quem fortuna numquam decip quod ego fui ad Trasumennum ad Cannas, id tu h die. vixdum militari aetate imperio accepto om audacissime incipientem nusquam fefellit te tua f tuna. patris et patrui persecutus mortem ab calam tate vestrae domus decus insigne virtutis pietati que eximiae cepisti: amissas Hispanias recipera quattuor inde Punicis exercitibus pulsis: consul cre tus, cum ceteris ad tutandam Italiam parum anim esset, transgressus in Africam, duobus hic exerciti bus caesis, binis eadem hora captis simol incensisqu castris, Syphace potentissimo rege capto, tot urbibu regni eius, tot nostri imperii ereptis, me sextum dec

---

1. *quodcumque:* P Bb] quodcunque.

4. *quod ad me adtinebat, aetas:* P Bb L] quod a me attinet, iam aetas.

6. *ita fraudaverunt:* P Bb L] ita erudierunt.

7. *adulescentiam:* P M] adolescentiam.

10. *repugnet:* Bb L] reputat. — P: *repugnat.*

10. *numquam decipit:* P Bb] nunquam decepit.

11. *ad Trasumennum:* Bb] ad Trasimenum. — P: *trasumennum.*

11. *id tu hodie:* P Bb L] id tu hodie es.

13. *fefellit te tua fortuna*] fefellit fortuna. — P: *fe fellit sua* (Bb L: *sunt*) *fortuna.*

20. *simol:* Bb] simul.

m iam annum haerentem in possessione Italiae de- isti. potest victoriam malle quam pacem animus. i spiritus magnos magis quam utiles: et mihi talis uando fortuna adfulsit. quodsi in secundis rebus bo- a quoque mentem darent dei, non solum quae eve- sent, sed etiam ea quae evenire possent, reputare- s. ut omnium obliviscaris aliorum, satis ego docu- nti in omnis casus sum: quem modo castris inter ienem atque urbem vestram positis signa inferentem moenia Romana — hic cernas duobus fratribus, for- simis viris, clarissimis imperatoribus orbatum, ante enia prope obsessae patriae, quibus terrui ve- m urbem, ea pro mea deprecantem. maximae ue fortunae minime credendum est. in bonis rebus, nostris dubiis, tibi iam ampla ac spe- danti est pax, nobis petentibus magis neces- quam honesta. melior tutiorque est certa pax m sperata victoria: haec in tua, illa in deorum u est. ne tot annorum felicitatem in unius ho- dederis discrimen. cum tuas vires, tum vim for- ae Martemque belli communem propone animo:

---

2. *potest victoriam malle:* Bb P2 F] potest victo- m, inquam, malle.
3. *magnos magis q.:* Bb P2 F] magis magnos q.
4. *adfulsit:* Bb R] affulsit.
5. *dei:* Bb P2] dii.
8. *omnis:* Bb] omnes.
9. *s. inferentem ad moen.* — Bb P2: *signa inferen- s moenia.* — Forsitan *in moenia.*
10. *hic cernas:* Bb P2 L Br R T M A] hic cernis.
10. *duobus fratribus, fortissimis viris, clarissimis eratoribus:* Bb P2] duobus fortissimis viris, fratribus, ssimis imperatoribus.
15. *tibi iam ampla*] tibi ampla. — Bb P2: *iam apta.* 1. *tibi apta.*

utrimque ferrum, utrimque corpora humana eru nusquam minus quam in bello eventus respond non tantum ad id quod data pace iam habere po si proelio vinces, gloriae adieceris, quantum a meris, si quid adversi eveniat: simul parta ac s rata decora unius horae fortuna evertere pot omnia in pace iungenda tuae potestatis sunt, Corneli: tunc ea habenda fortuna erit quam dederint. inter pauca felicitatis virtutisque exem M. Atilius quondam in hac eadem terra fuisse f retur, si victor pacem petentibus dedisset patrib nostris: non statuendo felicitati modum nec co hendo efferentem se fortunam, quanto altius ela erat, eo foedius conruit. est quidem eius qui d non qui petit, condiciones dicere pacis: sed forsi non indigni simus qui nobismet ipsi multam in gemus, qui non recusamus quin omnia, propter q

---

1. *utrimque ferrum, utrimque corpora humana eru* P2] utrinque ferrum, corpora humana erant. — Bb L: *utri que corpora humana erunt.*

4. *proelio:* Bb] praelio.

4. *vinces:* Harl. Hav.] vincas. — Bb P2: *uincens.* *uincēs.*

4. *quantum ademeris:* Br. — In Bb P2 L praet missum est *ademeris.*

8. *dī dederint:* Bb] dii dederint.

9. *inter pauca:* R. — Bb L: *intento.* P2: *in tant* Br: *inter cetera.*

10. *fuisse ferretur*] fuisset. — Bb P2: *fuisse et.* L R: *fuisse fertur.*

14. *conruit:* Bb] corruit.

16. *inrogemus:* Bb P2] irrogemus.

17. *qui non recusamus:* Bb P2 L Br R T M A] recusamus.

17. *propter quae ad bellum itum est*] propter qu bellum initum est. — Bb P2: *propter que ea bellum itum e*

ad bellum itum est, vestra sint, Sicilia, Sardinia, Hispania, quicquid insularum toto inter Africam Italiamque continetur mari: Carthaginienses inclusi Africae litoribus vos, quando ita dis placuit, externa etiam terra marique videamus regentis imperia. haut negaverim, propter non nimis sincere petitam aut expectatam nuper pacem suspectam esse vobis Punicam fidem. multum, per quos petita sit, ad fidem tuendae pacis pertinet, Scipio. vestri quoque ut audio patres nonnihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negaverunt pacem: Hannibal peto pacem, qui neque peterem nisi utilem crederem, et propter eandem utilitatem tuebor eam propter quam peti. et quem ad modum, quia a me bellum coeptum est, ne quem eius paeniteret, quoad id ipsi invidere dei, praestiti, ita adnitar ne quem pacis per me partae paeniteat."

XXXI. Adversus haec imperator Romanus in hanc fere sententiam respondit: „non me fallebat, Hannibal, ab adventus tui spe Carthaginienses et praesentem indutiarum fidem et spem pacis turbasse. neque tu id sane dissimulas, qui de condicionibus superioribus pacis omnia subtrahas praeter ea quae iam pridem in nostra potestate sunt. cete-

4. *litoribus:* Bb Br A] litteribus.
4. *dis:* Bb P2] diis.
5. *regentis:* Bb P2] regentes.
6. *haut:* Bb] haud.
7. *expectatam:* P2 L Br R] exspectatam.
14. *peti:* Bb P2] petii.
16. *quoad id:* P2 L] quoad. — Bb: *quod ad id.*
16. *adnitar:* Bb P2 L Br R] annitar.
20. *ab adventus tui spe*] adventus tui spe. — Bb: *auere aduentus tui spem.* P2 L: *habere aduentus tui spem.*
24. *ceterum ut tibi:* Bb P2] ceterum sicut tibi.

rum ut tibi curae est sentire cives tuos quanto per te onere leventur, sic mihi laborandum est ne, si quae tunc pepigerunt, hodie subtracta ex condicionibus pacis praemia perfidiae habeant. indigni quibus eadem pateat condicio, etiam ut prosit vobis fraus petitis. neque patres nostri priores de Sicilia, neque nos de Hispania facimus bellum: et tunc Mamertinorum sociorum periculum et nunc Sagunti excidium nobis pia ac iusta induerunt arma. vos lacessere et tu ipse fateris et dei testes, ut qui et illius belli exitum secundum ius fasque dederunt et huius dant et dabunt. quod ad me attinet, et humanae infirmitatis memini et vim fortunae reputo et omnia quaecumque agimus subiecta esse mille casibus scio. ceterum quem ad modum superbe et violenter me faterer facere, si priusquam in Africam traiecissem, te tua voluntate cedentem Italiae et inposito in naves exercitu ipsum venientem ad pacem petendam aspernarer: sic nunc, cum prope manu consertum restitantem ac tergiversantem in Africam adtraxerim, nulla sum tibi verecundia obstrictus. proinde si quid ad ea quae tunc pax conventura videbatur — quae sit multa navium cum commeatu per indutias expugnatarum legatorumque violatorum — adi-

2. *si quae:* Bb P2 L] quae.
5. *etiam ut prosit:* Bb P2 L] ut etiam prosit.
7. *facimus bellum:* Bb P2 L] fecimus bellum.
9. *vos lacessere:* Bb P2 L] vos lacessisse.
10. *testes, ut qui:* Bb P2 L] testes sunt qui.
14. *quaecumque:* Bb P2] quaecunque.
17. *cedentem Italiae:* Bb P2] cedentem Italia.
17. *inposito:* Bb] imposito.
19. *manu consertum:* Bb P2 L Br R T] manu conserta.
22. *quae tunc*] quae tum.
23. *quae sit multa*] quasi multa. — Bb P2 L: *quae si.*

adicitur, est quod referam ad consilium. sin illa quoque gravia videntur, bellum parate, quoniam pacem pati non potuistis." Ita infecta pace ex conloquio ad suos cum se recepissent, frustra verba praelata renuntiant: armis decernendum esse habendamque eam fortunam quam dei dedissent.

XXXII. In castra ut est ventum, pronuntiant ambo, arma expedirent milites animosque ad supremum certamen, non in unum diem sed in perpetuum, si felicitas adesset, victores. Roma an Carthago iura gentibus darent, ante crastinam noctem scituros: neque enim Africam aut Italiam sed orbem terrarum victoriae praemium fore: par periculum praemio, quibus adversae pugnae fortuna fuisset. nam neque Romanis effugium ullum patebat in aliena ignota terra, et Carthagini supremo auxilio effuso adesse videbatur praesens excidium.

Ad hoc discrimen procedunt postero die duorum opulentissimorum populorum duo longe clarissimi duces, duo fortissimi exercitus, multa ante parta decora aut cumulaturi eo die aut eversuri.

---

1. *adicitur:* Bb P2 L] adiicitur.

3. *conloquio:* Bb] colloquio.

4. *verba praelata*] verba iactata. — Bb P2 L: *verba praecata.* Br m. 2. *verba temptata.* R T M A F: *verba pacata.*

5. *renuntiant:* Bb P2] renunciant.

6. *dei:* Bb P2 L] dii.

7. *pronuntiant:* Bb P2 Br] pronunciant.

14. *adversae pugnae fortuna:* Bb P2 L Br R T M A F] adversa pugnae fortuna.

16. *ignota:* Bb P2 L] ignotaque. — Bb P2 L: *ignota auxilio:* cetera exciderunt. — Hav.: *ignota terra auxilio eff.*

rum ut tibi curae est sentire cives tuos quanto per te onere leventur, sic mihi laborandum est ne, si quae tunc pepigerunt, hodie subtracta ex condicionibus pacis praemia perfidiae habeant. indigni quibus eadem pateat condicio, etiam ut prosit vobis fraus petitis. neque patres nostri priores de Sicilia, neque nos de Hispania facimus bellum: et tunc Mamertinorum sociorum periculum et nunc Sagunti excidium nobis pia ac iusta induerunt arma. vos lacessere et tu ipse fateris et dei testes, ut qui et illius belli exitum secundum ius fasque dederunt et huius dant et dabunt. quod ad me attinet, et humanae infirmitatis memini et vim fortunae reputo et omnia quaecumque agimus subiecta esse mille casibus scio. ceterum quem ad modum superbe et violenter me faterer facere, si priusquam in Africam traiecissem, te tua voluntate cedentem Italiae et inposito in naves exercitu ipsum venientem ad pacem petendam aspernarer: sic nunc, cum prope manu consertum restitantem ac tergiversantem in Africam adtraxerim, nulla sum tibi verecundia obstrictus. proinde si quid ad ea quae tunc pax conventura videbatur — quae sit multa navium cum commeatu per indutias expugnatarum legatorumque violatorum —

adi-

2. *si quae:* Bb P2 L] quae.
5. *etiam ut prosit:* Bb P2 L] ut etiam prosit.
7. *facimus bellum:* Bb P2 L] fecimus bellum.
9. *vos lacessere:* Bb P2 L] vos lacessisse.
10. *testes, ut qui:* Bb P2 L] testes sunt qui.
14. *quaecumque:* Bb P2] quaecunque.
17. *cedentem Italiae:* Bb P2] cedentem Italia.
17. *inposito:* Bb] imposito.
19. *manu consertum:* Bb P2 L Br R T] manu conserta.
22. *quae tunc*] quae tum.
23. *quae sit multa*] quasi multa. — Bb P2 L: *quae si.*

adicitur, est quod referam ad consilium. sin illa quoque gravia videntur, bellum parate, quoniam pacem pati non potuistis.“ Ita infecta pace ex conloquio ad suos cum se recepissent, frustra verba praelata renuntiant: armis decernendum esse habendamque eam fortunam quam dei dedissent.

XXXII. In castra ut est ventum, pronuntiant ambo, arma expedirent milites animosque ad supremum certamen, non in unum diem sed in perpetuum, si felicitas adesset, victores. Roma an Carthago iura gentibus darent, ante crastinam noctem scituros: neque enim Africam aut Italiam sed orbem terrarum victoriae praemium fore: par periculum praemio, quibus adversae pugnae fortuna fuisset. nam neque Romanis effugium ullum patebat in aliena ignota terra, et Carthagini supremo auxilio effuso adesse videbatur praesens excidium.

Ad hoc discrimen procedunt postero die duorum opulentissimorum populorum duo longe clarissimi duces, duo fortissimi exercitus, multa ante parta decora aut cumulaturi eo die aut eversuri.

---

1. *adicitur:* Bb P2 L] adiicitur.

3. *conloquio:* Bb] colloquio.

4. *verba praelata*] verba iactata. — Bb P2 L: *verba praecata.* Br m. 2. *verba temptata.* R T M A F: *verba pacata.*

5. *renuntiant:* Bb P2] renunciant.

6. *dei:* Bb P2 L] dii.

7. *pronuntiant:* Bb P2 Br] pronunciant.

14. *adversae pugnae fortuna:* Bb P2 L Br R T M A F] adversa pugnae fortuna.

16. *ignota:* Bb P2 L] ignotaque. — Bb P2 L: *ignota auxilio:* cetera exciderunt. — Hav.: *ignota terra auxilio eff.*

anceps igitur spes metus miscebant animos: contemplantibusque modo suam modo hostium aciem, cum oculis magis quam ratione pensarent vires, simul laeta simul tristia obversabantur. quae ipsis sua sponte non succurrebant, ea duces admonendo atque hortando subiciebant. Poenus sedecim annorum in terra Italia res gestas, tot duces Romanos, tot exercitus occisione occisos, et sua cuique decora, ubi ad insignem alicuius pugnae memoria militem venerat, referebat: Scipio Hispanias et recentia in Africa praelia et confessionem hostium, quod neque non petere pacem propter metum neque manere in ea prae insita animis perfidia potuissent: ad hoc conloquium Hannibalis in secreto habitum ac liberum fingenti quae vult, flectit. ominatur, quibus quondam auspiciis patres eorum ad Aegatis pugnaverint insulas, ea illis exeuntibus in aciem portendisse deos. adesse finem belli ac laboris. in manibus esse praedam Carthaginis, reditum domum in patriam, ad parentes, liberos, coniuges penatesque deos. celsus haec corpore vultuque ita laeto ut vicisse iam crederes dicebat. instruit deinde primos hastatos, post eos principes; triariis postremam aciem clausit.

---

1. *spes metus:* Bb L] spes et metus. — P2: *anceps igitur metus.*

6. *subiciebant:* Lovel. 3. 4.] subiiciunt. — Bb: *subicient.* P2: *subitiant.*

8. *occisione:* P2] occidione.

13. *conloquium:* Bb P2] colloquium.

14. *liberum fingenti quae vult, flectit:* Bb P2 L] liberum fingenti, quo velit, flecti. — Br R: *liberum fingenti qua vult flectit.*

16. *ad Aegatis pugnaverint insulas:* Bb P2] pugnaverint ad Aegates insulas.

XXXIII. Non confertas autem choortes ante sua quamque signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantis, ut esset spatium qua elephanti hostium acti nihil ordines turbarent. Laelium, cuius ante legati, eo anno quaestoris extra sortem ex senatus consulto opera utebatur, cum Italico equitatu ab sinistro cornu, Masinissam Numidasque ab dextro opposuit. vias patentis inter manipulos antesignanorum velitibus — ea tunc levis armatura erat — complevit, dato praecepto ut ad impetum elefantorum aut post directos refugerent ordines, aut in dexteram laevamque discursu adplicantes se signis viam, qua inruerent in ancipia tela, beluis darent. Hannibal ad terrorem primos elefantos — octoginta autem erant, quod nulla umquam in acie ante habuerat — instruxit, deinde auxilia

---

1. *choortes:* Bb] cohortes.

3. *distantis:* Bb P2] distantes.

3. *qua:* Bb P2] quo.

4. *acti:* Bb P2 L Br] accepti.

8. *vias patentis:* Bb] vias patentes.

11. *elefantorum:* Bb] elephantorum.

11. *post directos*] post rectos. — Bb P2: *post inrectos.* L: *post irrectos.*

12. *in dexteram:* P2 T M] in dextram.

12. *adplicantes se signis*] applicantes se antesignanis. — Bb: *adplicante signis.* P2: *applicante signis.* L: *aplicāte signis.*

13. *inruerent:* Bb] irruerent.

13. *in ancipia tela:* Bb L] in ancipitia tela. — P2: *mancipia tela.*

14. *beluis:* Bb P2 R T M F] belluis.

14. *elefantos:* Bb] elephantos.

15. *quod:* Bb P2 L] quot.

15. *umquam:* Bb P2] unquam.

Ligurum Gallorumque Balearibus Maurisque admixtis; in secunda acie Carthaginiensis Afrosque et Macedonum legionem, modico deinde intervallo relicto subsidiariam aciem Italicorum militum — Bruttii plerique erant, vi ac necessitate plures quam sua voluntate decedentem ex Italia secuti — instruxit. equitatum et ipse circumdedit cornibus: dextrum Carthaginiensis, sinistrum Numidae tenuerunt.

Varia adortatio erat in exercitu inter tot homines, quibus non lingua, non mos, non lex, non arma, non vestitus habitusque, non causa militandi eadem esset. auxiliaribus et praesens et multiplicata ex praeda merces ostentabatur; Galli proprio atque insito in Romanos odio accenduntur; Liguribus campi uberes Italiae deductis ex asperumis montibus in spem victoriae ostentantur; Mauros Numidasque Masinissae inpotenti futuro dominatu terrent; aliae aliis spes ac metus iactantur: Carthaginiensibus moenia patria, di penates, sepulchra maiorum, liberi cum

---

1. *Balearibus:* Bb R T M A F] Baliaribus. — P2: *ualearibus.* L: *ballearibus.*

2. *Carthaginiensis:* Bb] Carthaginienses.

3. *deinde:* Bb P2 L A F] inde.

8. *Carthaginiensis:* Bb] Carthaginienses.

9. *adortatio:* Bb P2 L] adhortatio.

12. *multiplicata ex praeda merces:* Bb P2] multiplicata merces ex praeda.

13. *ostentabatur:* P2] ostentatur.

15. *asperumis*] asperrimis. — Bb: *asperum his.* P2 Br: *asperimis.* — 17. *inpotenti:* Bb] impotenti.

17. *terrent:* Bb P2 L] terret.

17. *aliae aliis spes*] aliis aliae spes. — Bb: *alii alie spes.* P2: *alie alii spes.* L: *alie spei.*

18. *moenia patria:* Bb L] moenia patriae.

19. *di penates:* Bb] dii penates.

19. *sepulchra:* P2 R T M A F] sepulcra.

parentibus conjugesque pavidae, aut excidium servitiumque aut imperium orbis terrarum — nihil aut in metum aut in spem medium — ostentantur.

Cum maxime haec imperator apud Carthaginienses — duces suarum gentium inter populares — pleraque per interpretes inter immistos alienigenis ageret, tubae cornuaque ab Romanis cecinerunt tantusque clamor ortus, ut elephanti in suos sinistro maxime cornu verterentur, Mauros ac Numidas, addidit facile Masinissa perculsis terrorem nudavitque ab ea parte aciem equestri auxilio. paucae tamen bestiarum intrepidae in hostem actae inter velitum ordines cum multis suis vulneribus ingentem stragem edebant. resilientes enim ad maniplos velites cum viam elephantis, ne opterentur, fecissent, in ancipitis ad ictum utrimque coniciebant antesignani, nec cessabant, donec undique incidentibus telis exacti ex Romana acie hi quoque in suo dextero cornu ipsos Carthaginiensium equites in fugam verterunt. Laelius ut turbatos vidit hostis, addidit perculsis terrorem.

---

1. *coniugesque pavidae:* Bb P2 F] coniuges pavidae.
3. *ostentantur:* Bb] ostentatur.
6. *immistos:* Bb] immixtos.
7. *ageret:* Bb P2 Br R T A F] agerent.
14. *ad maniplos:* P2] ad manipulos.
15. *optererentur*] obtererentur. — P2: *opterentur.*
15. *in ancipitis:* Bb L] in ancipites.
16. *utrimque:* Bb] utrinque.
16. *coniciebant antesignani nec cessabant*] coniiciebant hastas, nec pila ab antesignanis cessabant. — Bb: *conitiebant tesignanis cessabant.* L: *coniciebāt an̄signanis cessabāt.* P2: *fecissent cessabant:* cetera desunt. *coniciebant* etiam in Br.
18. *dextero:* Bb T M] dextro.
20. *hostis:* Bb] hostes.
20. *addidit:* Bb P2 L Br] addit.

XXXIV. Utrimque nudata equite erat Punica acies, cum pedes concurrit nec spe nec viribus iam par. ad hoc dictu parva sed magna eadem in re gerenda momenta: congruens clamor a Romanis eaque maior et terribilior, dissonae illis ut gentium multarum discrepantibus linguis voces; pugna Romana stabilis et suo et armorum pondere incumbentium in hostem, concursatio et velocitas illinc maior quam vis. igitur primo impetu extemplo movere loco hostium aciem Romani; ala deinde et umboni pulsantes, in summotos gradu inlato, aliquantum spati velud nullo resistente incessere, urgentibus et novissimis primos ut semel motam aciem sensere, quod ipsum vim magnam ad pellendum hostem addebat. apud hostis auxiliaris cedentis secunda acies Afri et Carthaginienses adeo non sustinebant, ut contra etiam, ne resistentis pertinaciter primo caedendo ad se perveniret hostis, pedem referrent. igitur auxiliares terga dant repente, et in suos reversi partim refugere in secundam aciem, partim non recipientes caedere, ut et paulo ante non adiuti et tunc exclusi. et prope

---

1. *Utrimque nudata equite:* Bb P2] Utrinque equite nudata.

3. *sed magna eadem in re g. momenta:* Bb P2 L] sed magni eadem in re g. momenti.

4. *eaque:* Bb P2] eoque.

10. *umboni:* Bb P2 L] umbonibus.

11. *inlato:* Bb] illato. — P2: *in loco.*

11. *spati:* P2] spatii.

11. *velud:* Bb P2] velut.

14. *apud hostis auxiliaris cedentis:* Bb L] apud hostes auxiliares cedentes. — P2: *apud hostes auxiliariis cedentes.*

17. *resistentis:* Bb] resistentes.

17. *primo caedendo:* Bb P2 L] primos caedendo.

19. *reversi:* Bb L] versi.

20. *ut et paulo:* Bb P2] uti paullo.

duo iam permixta proelia erant, cum Carthaginienses simul cum hostibus simul cum suis cogerentur manus conserere. non tamen ita perculsos iratosque in aciem accipere sed densatis ordinibus in cornua vacuumque circa campum extra proelium eicere, ne pavido fuga vulneribus milite sinceram et integram aciem miscerent. ceterum tanta strages hominum armorumque locum, in quo steterant paulo ante auxiliares, compleverat, ut prope deficilior transitus esset quam per confertos hostes fuerat. itaque qui primi erant, astati per cumulos corporum armorumque et tabem sanguinis qua quisque poterat sequentes hostem et signa et ordines confuderunt. principium quoque signa fluctuari coeperant vagam ante se cernendo aciem. quod Scipio ubi vidit, receptui propere canere hastatis iussis et sauciis in postremam aciem subductis principes triariosque in cornua inducit, quo tutior firmiorque media hastatorum acies esset. ita novum de integro proelium ortum est: quippe ad veros hostis perventum erat, et armorum genere et usu militiae et fama rerum gestarum et magnitudine vel spei vel periculi pares. sed et nu-

---

1. *proelia:* Bb] praelia.
2. *manus conserere:* Bb P2] conserere manus.
4. *accipere:* Bb] accepere.
5. *proelium:* Bb] praelium.
5. *eicere:* Bb P2 L] eiecere.
6. *vulneribus:* Bb P2] vulneribusque.
8. *paulo:* Bb P2 L A F] paullo.
9. *deficilior:* Bb] difficilior.
11. *astati:* Bb] hastati.
14. *principium:* L] principum.
16. *hastatis iussis et s.*] hastatis iussit et s. — Bb: *hastatis iussisset s.* P2: *hastatis iussit sauciis.*
20. *hostis:* Bb] hostes.

mero superior Romanus erat et animo, quod iam equites iam elephantos fuderat, iam prima acie pulsa in secundam pugnabat.

XXXV. In tempore Laelius ac Masinissa, pulsos per aliquantum spatii secuti equites, revertentes in aversam hostium aciem incurrere. is demum equitum impetus fudit hostem. multi circumventi in acie caesi: per patentem circa campum fuga sparsi tenente omnia equitatu passim interierunt. Carthaginiensium sociorumque caesa eo die supra milia viginti; par ferme numerus captus cum signis militaribus centum triginta duobus; elephantes undecim. victores ad mille et quingenti cecidere.

Hannibal cum paucis equitibus inter tumultum elapsus Hadrumetum perfugit, et omnia in proelio, ante aciem, priusquam excederet pugna expertus, et confessione etiam Scipionis omniumque peritorum militiae

---

1. *superior Romanus erat:* Bb P2] Romanus superior erat.

8. *caesi: per pat.:* Bb P2 L] caesi; multi per pat.

10. *milia XX:* Bb P2] millia viginti.

11. *captus:* Bb P2 L] captus est.

12. *centum triginta duobus*] centum triginta tribus. — Bb P2 L: *CXXXII.*

12. *elephantes XI:* Bb] elephantis undecim. — P2: *elephanti XI.*

13. *victores ad mille et quingenti cecidere*] victores ad duo millia cecidere. — Bb: *victores ad X & cecidere.* P2: *victores ad ∞ et d. cecidere.* L: *victores ad. X. cecidere.* Br R T M A F: *victores ad X milia cecidere.*

15. *Hadrumetum:* Bb] Adrumetum.

15. *et omnia in proelio, ante aciem, priusquam excederet pugna expertus, et conf.:* L] omnia et ante aciem et in praelio, priusquam excederet pugna expertus, et conf. — Bb: *omnia & in proelio ante aciem priusq.* cet. P2 Br R T M A F: *omnia et in p̄lio et ante aciem priusq.* cet.

omnem illam laudem adeptus, singulari arte aciem eo die instruxisse. elephantos in prima fronte, quorum fortuitus impetus atque intolerabilis vis signa sequi et servare ordines, in quo plurimum spei ponerent, Romanos prohiberent: deinde auxiliares ante Carthaginiensium aciem, ne homines mixti ex conluvione omnium gentium, quos non fides teneret sed merces, liberum receptum fugae haberent, simul primum ardorem atque impetum hostium excipientes fatigarent, ac si nihil aliud, vulneribus suis ferrum hostium hebetarent: tum, ubi omnis spes, milites Carthaginienses Afrosque, ut omnibus rebus aliis pares, eo quod integri cum fessis ac sauciis pugnarent, superiores essent: Italicos, incertos socii an hostes essent, in postremam aciem summotos. hoc edito velud ultimo virtutis opere Hannibal cum Hadrumetum refugisset, accitusque inde Carthaginem sexto ac tricesimo post anno quam puer inde profectus erat redisset, fassus in curia est, non proelio modo se set bello victum nec spem salutis alibi quam in pace impetranda.

---

1. *omnem illam laudem:* Bb P2 L] illam laudem.
5. *prohiberent:* Bb P2 L] prohiberet.
6. *conluvione:* Bb P2] colluvione.
9. *excipientes:* Bb P2 L Br R T M A] accipientes.
11. *ubi omnis spes:* Bb P2] ubi omnis spes esset. — L: *u'o omnis spes.*
14. *Italicos, incertos:* Bb P2 L] Italicos, intervallo quoque diremptos, incertos.
16. *velud:* Bb] velut.
17. *Hadrumetum:* Bb P2] Adrumetum.
18. *tricesimo:* Bb P2] trigesimo.
20. *proelio:* Bb] praelio.
20. *set:* L] sed.
21. *in pace impetranda:* Bb] in pace impetranda esse. — L: *in pace esse impetranda.*

XXXVI. Scipio confestim a proelio expugnatis hostium castris direptisque cum ingenti praeda ad mare ac naves rediit, nuntio allato P. Lentulum cum quinquaginta rostratis centum onerariis cum omni genere commeatus ad Uticam accessisse. admovendum igitur undique terrorem perculsae Carthagini ratus, misso Laelio Romam cum victoriae nuntio, Octavium terrestri itinere ducere legiones Carthaginem iubet: ipse ad suam veterem nova Lentuli classe adiuncta profectus ab Utica portum Carthaginis petit. haud procul aberat, cum velata infulis ramisque oleae Carthaginiensium occurrit navis. decem legati erant principes civitatis, auctore Hannibale missi ad petendam pacem. qui cum ad pupim praetoriae navis accessissent velamenta supplicium porrigentes, orantes implorantesque fidem ac misericordiam Scipionis, nullum iis aliud responsum datum quam ut Tynetem venirent: eo se moturum castra. ipse ad contemplandum Carthaginis situm non tam noscendi in praesentia quam depremendi hostis causa provectus. Uticam — eodem

---

1. *proelio:* Bb] praelio.

3. 8. *nuntio:* Bb P2] nuncio.

8. *Octavium:* Bb P2 L] Cn. Octavium.

15. *pupim:* L Br R T] puppim.

15. *supplicium:* P2] supplicum.

16. *fidem ac misericordiam:* Bb P2] fidem et misericordiam.

18. *Tynetem:* P2] Tuneta.

19. *ipse ad contemplandum Carthaginis situm:* Bb P2] ipse ab contemplando situ Carthaginis. — L Br R T M A: *ipse ad contemplandum situm Carthaginis.* F: *ipse ab contemplato situ Carthaginis.*

20. *depremendi:* Bb] deprimendi.

21. *hostis causa provectus*] hostis causa.

et Octavio revocato — rediit. inde procedentibus ad Tynetem nuntius allatus, Verminam Syphacis filium cum equitibus pluribus quam peditibus venire Carthaginiensibus auxilio. pars exercitus cum omni equitatu Saturnalibus primis agmen adgressa Numidarum levi certamine fudit. exitu quoque fugae intercluso parte omni circumdatis equitibus, quindecim milia hominum caesa, mille et ducenti vivi capti sunt, et equi Numidici mille et quingenti, signa militaria duo et septuaginta. regulos ipse inter tumultum cum paucis effugit. tum ad Tynetem eodem quo ante loco castra posita, legatique triginta Carthagine ad Scipionem venerunt. et illi quidem multo miserabilius quam antea, quo magis cogebat fortuna, egerunt: sed aliquanto minore cum misericordia ab recenti memoria perfidiae auditi sunt. in consilio quamquam iusta ira omnis ad delendam stimulabat Carthaginem, tamen cum et quanta res esset, quam longi temporis obsidio tam munitae et tam validae urbis reputarent, et ipsum Scipionem

---

2. *ad Tynetem:* P2] ad Tuneta. — Bb: *attinetem.* — *at Tinetem?*

2. *nuntius:* Bb P2] nuncius.

5. *agmen adgressa Numidarum:* Bb P2] agmen aggressa Numidas. — *Numidarum* etiam in L R T M A.

7. *parte omni:* Bb P2 L Br R T M A] a parte omni.

8. *milia:* Bb P2 Br R] millia.

10. *regulos:* Bb] regulus.

11. *Tynetem:* P2] Tuneta. — Bb: *Tinetem.*

12. *eodem quo ante loco:* Bb P2 L] eodem quo antea loco.

14. *quam antea:* P2] quam ante.

17. *quamquam iusta ira omnis:* Bb P2 R] quamquam iusta ira omnes. — *omnis* et in L.

19. *quam longi temp.:* Bb P2 L T] et quam longi temp.

expectatio successoris venturi ad paratam alterius labore ac periculis finiti belli famam solicitaret, ad pacem omnium animi versi sunt.

XXXVII. Postero die revocatis legatis et cum multa castigatione perfidiae monitis, ut tot cladibus edocti tandem deos et iusiurandum esse crederent, condiciones pacis dictae, ut liberi legibus suis viverent; quas urbis quosque agros quibusque finibus ante bellum tenuissent, tenerent, populandique finem eo die Romanus faceret. perfugas fugitivosque et captivos omnis redderent Romanis, et naves rostratas praeter decem triremes traderent, elephantosque quos haberent domitos, neque domarent alios. bellum neve in Africa neve extra Africam iniussu populi Romani gererent. Masinissae res redderent foedusque cum eo facerent. frumentum stipendiumque auxiliis, donec ab Romanis legati redissent, praestarent. decem milia talentum argenti describta pensionibus aequis in annos quinquaginta solverent. obsides centum arbitratu Scipionis darent, ne minores quattuordecim annis neu triginta maiores. indutias ita se daturum, si per priores indutias naves onerariae captae quaeque fuissent in navibus restituerentur: aliter nec indutias nec spem pacis ullam esse.

Has condiciones legati cum domum referre iussi

---

1. *expectatio:* Bb L Br] exspectatio.
2. *periculis:* L] periculo. — Bb: *periculi.*
2. *solicitaret:* Bb A] sollicitaret.
8. *urbis:* Bb P2] urbes.
11. *omnis:* Bb] omnes.
17. *ab Romanis:* P Bb] ab Roma.
18. *milia:* Bb Br] millia.
18. *describta:* P] descripta.

in contione ederent, et Gisgo ad dissuadendum pacem processisset audireturque a multitudine inquieta eadem et inbelli, indignatus Hannibal dici ea in tali tempere audirique, arreptum Gisgonem manu sua ex superiore loco detraxit. quae insueta liberae civitati species cum fremitum populi movisset, perturbatus militaris vir urbana libertate „novem“ inquid „annorum a vobis profectus post sextum et tricesimum annum redii: militaris artes, quas me a puero fortuna nunc privata nunc publica docuit, probe videor scire: urbis ac fori iura leges mores vos me oportet doceatis“. excusata inprudentia disseruit, quam nec iniqua pax et necessaria esset. id omnium maxime difficile erat, quod ex navibus per indutias captis nihil praeter ipsas comparebat naves: nec inquisitio erat facilis, adversantibus paci qui arguerentur. placuit naves reddi et homines utique in-

---

1. *contione:* P Bb] concione.

1. *ad dissuadendum:* Bb L Br] ad dissuadendam.

3. *inbelli:* P Bb] imbelli.

4. *tempere:* R] tempore. — P Bb: *temere.*

6. *perturbatus.* — P Bb L Br R T M A: *et perturbatus.* — *et perturba'tur?* h. e. *perturbaretur.*

7. *inquid:* Bb L] inquit.

9. *militaris artes:* P Bb] militares artes.

12. *excusata inprudentia disseruit, quam nec iniqua pax et necessaria esset*] excusata imprudentia de pace multis verbis disseruit, quam nec iniqua et necessaria esset. — P: *excusata inprudentia disseruit quam nec iniqua et necessaria esset.* Bb: *excusata imprudentia disseruit quam nec in qua et nec.* cet. L: *excusata īprouıdētia diseruit quam nec iniqua et nec.* cet. Br R T M A: *excusata imprudentia disseruit de pace multis verbis, quam nec iniqua et nec.* cet.

15. *nec inquisitio:* P Bb L Br R T M A F] neque inquisitio.

quiri, cetera quae abessent aestimanda Scipioni permitti atque ita pecunia luere Carthaginienses.

Sunt qui Hannibalem ex acie ad mare pervenisse, inde praeparata nave ad regem Antiochum extemplo profectum tradant, postulantique ante omnia Scipioni ut Annibal sibi traderetur, responsum esse Hannibalem in Africa non esse.

XXXVIII. Postquam redierunt ad Scipionem legati, quae publica in navibus fuerant, ex publicis describta rationibus quaestores, quae privata, profiteri domini iussi: pro ea summa pecuniae viginti quinque milia pondo argenti praesentia exacta, indutiaeque Carthaginiensibus datae in tres menses. additum, ne per indutiarum tempus aliorsus quam Romam mitterent legatos; et quicumque legati Carthaginem venissent, ne ante dimitterent eos quam Romanum imperatorem, qui ita petentes venissent, certiorem facerent. cum legatis Carthaginiensibus Romam missi L. Veturius Philo et M. Marcius Ralla et L. Scipio imperatoris frater. per eos dies commeatus ex Sicilia Sardiaque tantam vilitatem annonae effecerunt, ut pro vectura frumentum nautis mercator relinqueret.

---

6. *Annibal:* P] Hannibal.

9. *describta:* P] descripta.

11. *XXV milia pondo:* P Bb] viginti quinque millia pondo.

14. *aliorsus quam Romam:* Bb] alio usquam quam Romam. — P2 L M: *alios usquam quam Romam.*

17. *qui ita petentes:* Bb P2 L] qui et quae petentes.

21. *Sardiaque:* Bb] Sardiniaque.

21. *annonae effecerunt.* — Bb P2 L: *annone fecerunt.* — *annonae efecerunt?*

22. *nautis mercator relinqueret:* Bb P2] mercator nautis relinqueret. — L: *frumentum mercator relinqueret.* Br R T M A: *nautis mercatores relinquerent.*

Romae ad nuntium primum rebellionis Carthaginiensium trepidatum fuerat, iussusque erat Ti. Claudius mature classem in Siciliam ducere atque inde in Africam traicere, et alter consul M. Servilius ad urbem morari, donec quo statu res in Africa essent sciretur. segniter omnia in comparanda deducendaque classe ab Ti. Claudio consule facta erant, quod patres de pace Scipionis potius arbitrium esse quibus legibus daretur, quam consulis censuerant. prodigia quoque nuntiata sub ipsam famam rebellionis terrorem adtulerant: Cumis solis orbis minui visus et pluit lapideo imbri, et in Veliterno agro terra ingentibus cavernis consedit arboresque in profundum haustae: Ariciae forum et circa tabernae, Frusinone murus aliquod locis et porta de caelo tacta: et in Palatio lapidibus pluit: id prodigium more patrio novendiali sacro, cetera hostiis maioribus expiata. inter quae etiam aquarum insolita magnitudo in religionem versa: nam ita habundavit Tiberis ut ludi Apollinares circo inundato extra portam Collinam ad aedem Erucinae Veneris parati sint. ceterum ludorum ipso die subita serenitate orta pompa duci coepta ad portam Collinam revo-

1. *nuntium:* Bb P2 L] nuncium.

3. *classem in Siciliam ducere:* Bb P2 L] in Siciliam classem ducere.

4. *traicere:* Bb P2 L Br] traiicere.

10. *nuntiata:* Bb P2 Br] nunciata.

11. *adtulerant:* Bb] attulerant.

12. 16. *pluit:* Bb P2 L Br] pluvit.

15. *aliquod:* Bb] aliquot.

19. *habundavit:* Bb L Br T] abundavit.

21. *Erucinae:* Bb P2] Erycinae.

cata ductaque in circum est, cum recessisse inde aquam nuntiatum esset: laetitiamque populo et ludis celebritatem addidit sedes sua sollempni spectaculo reddita.

XXXIX. Claudium consulem profectum tandem ab urbe inter portus Cusanum Loretanumque atrox vis tempestatis adorta in metum ingentem adduxit. Populoniom inde cum pervenisset stetissetque ibi dum reliquum tempestatis exsaeviret, in Ilvam insulam et ab Ilva Corsicam, a Corsica in Sardiniam traiecit. ibi superantem Insanos montis multo et saevior et infestioribus locis tempestas adorta disiecit classem. multae quassatae armamentisque spoliatae naves, quaedam fractae. ita vexata ac lacerata classis Caralis tenuit. ubi dum subductae reficiuntur naves, hiemps oppressit circumactumque anni tempus, et nullo prorogante imperium privatus Ti. Claudius classem Romam reduxit.

M.

---

1. *ductaque:* Bb P2 L R T] deductaque.

1. *recessisse:* Bb] cessisse. — Br R T M A F: *decessisse.*

2. *nuntiatum:* Bb L] nunciatum.

3. *sollempni:* Bb L] sollenni.

6. *inter portus Cusanum Loretanumque:* Bb L] inter portus Cosanum Lauretanumque. — P2: *inter pontus casanum loretanumque.* Br: *inter portum cōpsanum loretanumque.*

8. *Populoniom inde*] Populonios inde. — Bb P2 L: *populonio inde.*

9. *in Ilvam insulam et ab Ilva*] Ilvam insulam et ab Ilva. — Bb: *siluam insulam et ab ilua.* — P2: *in siluam in suam et ab silua.*

11. *montis:* Bb] montes.

15. *Caralis:* Bb P2 L Br R] Carales.

16. *hiemps:* Bb] hiems. — L: *yēps.*

M. Servilius ne comitiorum causa ad urbem revocaretur, dictatore dicto C. Servilio Gemino in provinciam est profectus. dictator magistrum equitum P. Aelium Paetum dixit. saepe comitia infecta perfici tempestates prohibuerunt: itaque cum pridie idus Martias veteres magistratus abissent, novi suffecti non essent, res publica sine curulibus magistratibus erat.

T. Manlius Torquatus pontifex eo anno mortuus: in locum eius suffectus C. Sulpicius Galba. ab L. Licinio Lucullo et Q. Fulvio aedilibus curulibus ludi Romani ter toti instaurati. pecuniam ex aerario scribae viatoresque aedilicii clam egisse per indicem dampnati sunt, non sine infamia Luculli aedilis. P. Aelius Tubero et L. Laetorius aediles plebis vitio creati magistratu se abdicaverunt, cum ludos ludorumque causa epulum Iovi fecissent et signa tria ex multatitio argento facta in Capitolio posuissent. Cerialia ludos dictator et magister equitum ex senatus consulto fecerunt.

XL. Legati ex Africa Romani simul Carthaginienses cum venissent Romam, senatus ad aedem Bellonae habitus est. ubi cum L. Veturius Philo

---

4. *infesta*] indicta. — Bb P2 L: *intecta.*

6. *magistratus:* Bb P2 Br R T M A F] magistratu. — L: *magistrates.*

11. *L. Licinio.* — Bb: *L. Lucinio.*

13. *clam egisse per indicem dampnati sunt:* Bb P2 L Br T] clam egessisse per indicem comperti damnati sunt.

16. *abdicaverunt:* Bb P2 L Br R T M A] abdicarunt.

18. *multatitio:* Bb] multaticio. — P2 R: *multatio.* L Br: *mulctatio.* A F: *mulctatitio.*

19. *Cerialia:* Bb P2 L] Cerealia.

21. *simul Carthaginienses:* Bb P2] simul Carthaginiensesque. — L: *simul et carthaginenses.*

pugnatum cum Hannibale esse suprema Carthaginiensibus pugna finemque tandem lugubri bello impositum ingenti laeticia patrum exposuisset, adiecit Verminam etiam Syphacis filium, quae haut parva bene gestae rei accessio erat, devictum. in contionem prodire iussus gaudiumque id populo inpertire. tum patere facta gratulatione omnia in urbe templa: supplicationesque in triduum decretae. legatis Carthaginiensium et Philippi regis — nam ii quoque venerant — petentibus ut senatus sibi daretur, responsum iussu patrum ab dictatore est, consules novos iis senatum daturos esse. comitia inde habita. creati consules Cn. Cornelius Lentulus P. Aelius Paetus; praetores M. Iunius Pennus, cui sors urbana evenit, M. Valerius Falto Bruttios, M. Fabius Buteo Sardiniam, P. Aelius Tubero Siciliam est sortitus. de provinciis consulum nihil ante placebat agi quam legati Philippi regis et Carthaginiensium auditi essent: belli finem alterius, alterius principium prospiciebant animis. Cn. Lentulus consul cupiditate flagrabat provinciae Africae: seu bellum foret, facilem victoriam fore, seu iam finiretur, finiti

---

1. *suprema;* Bb L] suprema.

3. *laeticia*] laetitia. — Bb P2 L: *leticia.*

4. *quae haut parva*] quae parva.

5. *in contionem prodire iussus:* Bb P2] in concionem inde prodire iussus. — L: *in concionem ire iussus.*

6. *inpertire:* Bb] impartire. — P2' L Br R M A F: *impertire.*

7. *tum patere*] tum patuere. — Bb P2: *tum pater.*

12. *iis:* R T M A] eis. — Bb P2 Br: *his.* L: *hijs.*

19. *belli finem alterius, alterius princip.:* Bb] belli finem alterius, principium alterius.

22. *facilem victoriam fore:* Bb P2 L Br R T M A] facilem victoriam.

tanti belli se consule gloriam petens. negare ita prius quicquam agi passurum quam sibi provincia Africa decreta esset, concedente conlega, moderato viro et prudenti, qui gloriae eius certamen cum Scipione, praeterquam quod inicum esset, etiam impar futurum cernebat. Q. Minucius Thermus et M'. Acilius Glabrio tribuni plebis rem nequicquam temptatam ab Ti. Claudio consule Cn. Cornelium temptare aiebant: ex auctoritate patrum latum ad populum esse, cuius vellent imperium in Africa esse: omnes quinque et triginta tribus P. Scipioni id imperium decresse. multis contentionibus et in senatu et ad populum acta res postremo eo deducta est, ut senatui permitterent. patres igitur iurati — ita enim convenerant — censuerunt, uti consules provincias inter se compararent sortirenturve, uter Italiam, uter classem navium quinquaginta haberet. cui classis obvenisset, in Siciliam navigaret: si pax cum Carthaginiensibus componi nequisset, in Africam traiceret: consul mari, Scipio eodem quo adhuc iure, imperio terra rem gereret. si condiciones convenirent pacis, tribuni plebis populum rogarent, utrum

---

1. *negare ita:* Bb P2 L] negare itaque.
2. *provincia Africa:* P2] Africa. — Bb: *sibi . . . Africa.*
3. *conlega:* Bb] collega.
5. *quod inicum esset*] quod iniquum esset. — Bb: *quod iniqū esset.* — P2: *quod cū iniquum esset.*
7. *rem nequicquam t.:* Bb L] rem priore anno nequicquam t. — P2: *rem anno nequicquam t.*
8. *temptatam:* Bb P2 Br R] tentatam.
9. *temptare:* Bb P2 L Br R] tentare.
15. *convenerant:* Bb P2 L Br R] convenerat.
19. *traiceret:* P2 L Br] traiiceret.
21. *imperio:* Bb P2 L] imperii.

consulem an P. Scipionem iuberent pacem dare, et quem, si deportandus exercitus victor ex Africa esset, deportare. si pacem per P. Scipionem atque ab eodem exercitum deportari iussissent, ne consul ex Sicilia in Africam traiceret. alter consul, cui Italia evenisset, duas legiones a M. Sextio praetore acciperet.

XLI. P. Scipioni cum exercitibus quos haberet in provincia Africa prorogatum imperium. praetori M. Valerio Faltoni duae legiones in Bruttis, quibus C. Livius priore anno praefuerat, decretae. P. Aelius praetor duas legiones in Sicilia ab Cn. Tremelio acciperet. legio una M. Fabio in Sardiniam, quam P. Lentulus pro praetore habuisset, decernitur. M. Servilio prioris anni consuli cum suis duabus item legionibus in Etruria prorogatum in annum imperium est. quod ad Hispanias attineret, aliquod annos iam ibi L. Cornelium Lentulum et L. Manlium Accidinum esse: uti consules cum tribunis agerent, ut si his videretur, plebem rogarent, cui iuberent in Hispania imperium esse: is ex duo-

---

3. *pacem per P. Scipionem:* Bb P2] pacem per P. Scipionem dari.

5. *traiceret:* Bb P2 L Br] traiiceret.

10. *in Bruttis:* Bb] in Bruttiis. — P2: *in Brutis.*

13. *Tremelio:* Bb P2 L Br R T M A] Tremellio.

16. *prorogatum in annum imperium est:* codd. quidam I. F. Gronovii] prorogatum imperium est. — Bb: *prorogatum . . . . imperium est.*

18. *aliquod:* Bb] aliquot.

18. *annos iam ibi:* P2] iam annos ibi. — In Bb haec exciderunt.

19. *Accidinum:* Bb Br R] Acidinum.

20. *ut si his videretur, plebem rogarent:* Bb P2] si eis videretur, ut plebem rogarent.

bus exercitibus in unam legionem conscriberet Romanos milites et in quindecim cohortes socios Latini nominis, quibus provinciam optineret: veteres milites L. Cornelius et L. Manlius in Italiam deportarent. Consuli quinquaginta navium classis ex duabus classibus, Cn. Octavi, quae in Africa esset, et P. Villi, quae Siciliae oram tuebatur, decreta, ut quas vellet naves delegeret. P. Scipio quadraginta naves longas quas habuisset haberet: quibus si Cn. Octavium, sicut praefuisset, praeesse vellet, Octavio pro praetore in eum annum imperium esset: si Laelium praeficeret, Octavius Romam decederet reduceretque naves quibus consuli usus non esset. et M. Fabio in Sardiniam decem longae naves decretae. et consules duas urbánas legiones scribere iussi, ut quatuordecim legionibus eo anno centum navibus longis res publica administraretur.

XLII. Tum de legatis Philippi et Carthaginiensium actum. priores Macedonas introduci placuit: quorum varia oratio fuit, partim purgantium quae questi erant missi ad regem ab Roma legati de populatione sociorum, partim ultro accusantium

---

3. *optineret:* P2 M] obtineret.
5. *Consuli:* Bb P2 L] Cornelio consuli.
6. *Octavi:* Bb] Octavii.
7. *et P. Villi:* P2] P. Villii. — Bb: *P. Villi.*
8. *quas vellet naves del.:* Bb P2] quas naves vellet del.
8. *delegeret:* Bb] deligeret.
9. *naves longas quas habuisset haberet:* Bb P2] longas naves haberet quas habuisset.
15. *duas urbanas legiones:* Bb P2] duas legiones urbanas.
16. *quatuordecim*] quattuordecim. — Bb: *quatuor.* P2: *XIIII.*
21. *ab Roma:* Bb Br] a Roma.

quidem et socios populi Romani sed multo infestius M. Aurelium, quem ex tribus ad se missis legatis dilectu habito substitisse et se bello lacessisse contra foedus et saepe cum praefectis suis signis conlatis pugnasse, partim postulantium ut Macedones duxque eorum Sopater, qui apud Hannibalem mercede militassent, tum capti in vinclis essent, sibi restituerentur. adversus ea M. Furius, missus ad id ipsum ab Aurelio ex Macedonia, disseruit, Aurelium relictum né socii populi Romani fessi populationibus, vi atque iniuria ad regem deficerent, finibus sociorum non excessisse; dedisse operam ne impune in agros eorum populatores transcenderent. Sopatrum ex purpuratis et propinquis regis esse: eum cum quattuor milibus Macedonum et pecunia missum nuper in Africam esse Hannibali et Carthaginiensibus auxilio. de his rebus interrogati Macedones cum perplexe responderent, neque ipsi mite responsum tulerunt: bellum quaerere regem, et si pergat, prope diem inventurum. dupliciter ab eo

---

3. *dilectu:* Bb P2] delectu.

4. *conlatis:* Bb P2] collatis.

7. *tum capti, in v.:* Bb P2] captique in v.

7. *vinclis:* Bb] vinculis.

11. *vi atque iniuria:* Bb P2] atque iniuria.

13. *populatores transcenderent:* Bb P2] transcenderent populatores.

15. *milibus:* Br R] millibus.

16. *Hannibali et Carthaginiensibus:* Bb P2] Hannibali Carthaginiensibusque.

18. *cum perplexe responderent, neque ipsi mite responsum tulerunt:* P2] cum perplexe responderent, ipsi ante responsum tulerunt. — Bb: *cum perplexe respon.... responsum tulerunt.*

foedus violatum, et quo sociis populi Romani iniurias fecerit, ac bello armisque lacessiverit, et quod hostes auxiliis et pecunia iuverit. et P. Scipionem recte atque ordine fecisse videri et facere, quod eos qui arma contra populum Romanum ferentes capti sint, hostium numero in vinclis habeat; et M. Aurelium ex re publica facere gratumque id senatui esse, quod socios populi Romani, quando iure foederis non possit, armis tueatur.

Cum hoc tam tristi responso dimissis Macedonibus legati Carthaginienses vocati: quorum aetatibus dignitatibusque conspectis — nam longe primi civitatis erant — tum pro se quisque dicere, vere de pace agi. insignis tamen inter ceteros Hasdrubal erat — Haedum populares cognomine appellabant — pacis semper auctor adversusque Barchinae. eo tum plus illi auctoritatis fuit belli culpam in paucorum cupiditatem ab re publica transferenti. qui cum varia oratione usus esset, nunc purgando crimina, nunc quaedam fatendo, ne impudenter certa negantibus difficilior venia esset, nunc monendo

1. *et quo soc.:* Bb P2] et quod soc.
2. *ac bello armisque:* Bb P2] bello armisque.
2. *lacessiverit:* Bb P2 Br R T M A F] lacessierit.
4. *fecisse videri et facere:* Bb P2] videri fecisse et facere.
5. *capti sint:* Bb. — *capti sunt:* P2.
6. *in vinclis:* Bb P2] in vinculis.
7. *ex re p.:* Bb] e re p.
9. *non possit:* Bb P2] non posset.
16. *adversusque Barchinae:* Bb P2] adversusque factioni Barcinae.
18. *ab re p.:* Bb P2] a re p.
21. *nunc monendo etiam:* Bb P2 Br R T M A F] nunc etiam monendo.

etiam patres conscriptos ut rebus secundis modeste ac moderate uterentur: si se atque Hannonem audissent Carthaginienses et tempore uti voluissent, daturos fuisse pacis condiciones, quas tunc peterent. raro simul hominibus bonam fortunam bonamque mentem dari. populum Romanum eo invictum esse, quod in secundis sapere et consulere meminerit. et hercule mirandum fuisse, si aliter faceret. ex insolentia, quibus nova bona fortuna sit, inpotentis laeticiae insanire. populo Romano usitata ac prope iam exopsoleta ex victoria gaudia esse, ac plus paene parcendo victis quam vincendo imperium auxisse. ceterorum miserabilior oratio fuit commemorantium, ex quantis opibus quo recidissent Carthaginiensium res. nihil his, qui modo orbem prope terrarum optinuerint armis, superesse praeter Carthaginis moenia. his inclusos non terra non mari quicquam sui iuris cernere: urbem quoque ipsam ac penates ita habituros, si non in eo quoque, quo nihil ulterius sit, saevire populus Romanus vellet. cum flecti misericordia patres appareret, senatorum

---

4. *tunc:* — Bb: *tūnec.* Br: *nunc.*

7. *in secundis:* Bb] in secundis rebus.

8. *si aliter faceret:* Bb P2 L] si aliter facerent.

9. *inpotentis laeticiae:* Bb P2] impotentes laetitiae. — L: *iñ potētis leticie.*

11. *iam exopsoleta:* Bb] iam obsoleta. — P2 L: *iam exipsaleta.*

12. *paene:* Bb] pene.

15. *nihil his, qui:* Bb P2] nihil eis, qui.

16. *optinuerint;* P2] obtinuissent. — Bb L: *obtinuerunt.*

17. *his inclusos:* Bb P2] iis inclusos.

19. *si non in eo quoque:* Bb] si non in ea quoque. — P2 L: *si non in ea menia quoque.*

20. *vellet:* Bb P2 L] velit.

unum infestum perfidiae Carthaginiensium succlamasse ferunt, per quos deos foedus icturi essent, cum eos per quos ante ictum esset fefellissent: „per eosdem“ inquid Hasdrubal, „quoniam tam infesti sunt foedera violantibus.“

XLIII. Inclinatis omnium ad pacem animis Cn. Lentulus consul, cui classis provincia erat, senatus consulto intercessit. tum M'. Acilius et Q. Minucius tribuni plebis ad populum tulerunt, vellent iuberentne senatum decernere ut cum Carthaginiensibus pax fieret: quem eam pacem dare quemque ex Africa exercitum deportare iuberent. de pace uti rogatae erant omnes tribus iusserunt: pacem dare P. Scipionem, eundem exercitus deportare. ex hac rogatione senatus decrevit, ut P. Scipio ex decem legatorum sententia pacem cum populo Carthaginiensium quibus legibus ei videretur faceret. gratias deinde patribus egere Carthaginienses, et petierunt ut sibi in urbem introire et colloqui cum civibus suis liceret, qui capti in publica custodia essent: esse in iis partim propinquos amicosque suos, nobiles homines, partim ad quos mandata a propinquis habe-

---

4. *inquid:* Bb L] inquit.

4. *quoniam tam infesti sunt:* Bb] qui tam infesti sunt. — P2: *q̄m tam infesti sunt.*

11. *quem eam pacem dare:* Bb] et quem eam pacem dare.

12. *uti rogatae erant:* Bb] uti rogassent. — F: *uti rogatae omnes tribus erant iusserunt.*

14. *eundem exercitus deportare:* Bb F] eundem exercitum deportare.

16. *cum populo Carthaginiensium:* Bb] cum populo Carthaginiensi.

18. *et petierunt:* Bb] petieruntque. — P2 L: *petierunt.*

rent. quibus conventis cum rursus peterent, sibi quos vellent ex iis rédimendi potestas fieret, iussi nomina edere: et cum ducentos ferme ederent, senatus consultum factum est, ut legati Romani ducentos ex captivis quos Carthaginienses vellent ad P. Cornelium in Africam deportarent, nuntiarentque ei ut, si pax convenisset, sine pretio eos Carthaginiensibus redderet. fetiales cum in Africam ad foedus feriendum ire iuberentur, ipsis postulantibus senatus consultum factum est in haec verba, ut privos lapides silices privasque verbenas secum ferrent: uti praetor Romanus imperaret ut foedus ferirent, illi praetorem sagmina poscerent. herbae id genus ex arce sumptum fetialibus dari solet.

Ita dimissi ab Roma Carthaginienses cum in Africam venissent ad Scipionem, quibus ante dictum est legibus pacem fecerunt. naves longas, elephantos, perfugas, fugitivos, captivorum quatuor milia tradiderunt, inter quos Q. Terentius Culleo senator fuit. naves provectas in altum incendi iussit. quingentas fuisse omnis generis, quae remis regerentur, quidam tradunt: quarum conspectum repente in-

---

1. *peterent, sibi:* Bb] peterent ut sibi.

6. *P. Cornelium:* Bb P2 L] P. Cornelium Scipionem.

6. *nuntiarentque:* Bb P2] nunciarentque.

9. *senatus consultum factum est in haec verba:* Bb] senatus consultum in haec verba factum est.

12. *uti praetor Romanus imperaret:* Bb] uti praetor Romanus his imperaret.

14. *fetialibus dari solet:* Bb] dari fetialibus solet.

18. *quatuor milia:* L] quattuor millia.

21. *quae remis regerentur:* Bb Palat. 3.] quae remis agerentur.

cendium tam lugubre fuisse Poenis quam si ipsa Carthago arderet. de perfugis gravius quam de fugitivis consultum: nominis Latini qui erant, securi percussi, Romani in crucem sublati.

XLIV. Annis ante quadraginta pax cum Carthaginiensibus postremo facta erat Q. Lutatio A. Manlio consulibus. bellum initum annis post tribus et viginti P. Cornelio Ti. Sempronio consulibus, finitum est septimo decimo anno Gn. Cornelio P. Aelio Paeto consulibus. saepe postea Scipionem ferunt dixisse, Ti. Claudi primum cupiditatem dein Cn. Cornelii fuisse in mora, quo minus id bellum exitio Carthaginis finiret.

Carthagini cum prima conlatio pecuniae diutino bello exhaustis difficilis videretur maestitiaque et fletus in curia esset, ridentem Hannibalem ferunt conspectum. cuius cum Hasdrubal Haedus risum increparet in publico fletu, cum ipse lacrimarum causa esset: „si quem ad modum oris habitus cernitur oculis“ inquit „sic et animus intus cerni posset, facile vobis appareret, non laeti sed prope amentis malis cordis hunc quem increpitas risum esse: qui tamen nequaquam adeo est intempestivus

---

1. *si ipsa Carthago arderet:* Bb F] si tum ipsa Carthago arderet.

9. *Gn. Cornelio:* L] Cn. Cornelio. — Bb: *CR.*

10. *Scipionem ferunt dixisse:* Bb] ferunt Scipionem dixisse.

11. *Claudi:* Bb P2] Claudii.

11. *dein:* Bb] deinde.

14. *conlatio:* Bb P2] collatio.

22. *quem increpitas:* Bb] quem increpatis. — Br: *quem increpas.*

23. *intempestivus.* — Bb: *intempestivis.*

quam vestrae istae absurdae atque abhorrentes lacrimae sunt. tunc flesse decuit, cum adempta sunt nobis arma, incensae naves, interdictum externis bellis: illo enim vulnere concidimus. necesse est, in vos odio vestro consultum ab Romanis credatis. nulla magna civitas quiescere potest. si foris hostem non habet, domi invenit, ut praevalida corpora ab externis causis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerantur. tantum nimirum ex publicis malis sentimus, quantum ad privatas res pertinet; nec in iis quicquam acrius quam pecuniae damnum stimulat. itaque cum spolia victoriae Carthagini detrahebantur, cum inermem iam ac nudam destitui inter tot armatas gentes Africae cernerctis, nemo ingemuit: nunc quia tributum ex privato conferendum est, tamquam in publico funere comploratis. quam vereor ne prope diem sentiatis, levissimo in malo vos hodie lacrimasse!" haec Hannibal apud Carthaginienses.

Scipio contione advocata Masinissam ad regnum paternum Cirta opido et ceteris urbibus agrisque, quae ex regno Syphacis in populi Romani potestatem venissent, adiectis donavit. Cn. Octavium clas-

---

2. *cum adempta sunt nobis arma:* Bb] cum adempta nobis arma.

4. *necesse est in vos odio vestro cons.*] nec esse in vos odio vestro cons. — Bb: *nec esse est in uos odio uestro cons.* P2: *necesse est ne uos otio ūro cons.*

6. *civitas quiesc.:* Bb Br R T M A] civitas diu quiesc.
10. *nec in iis:* Bb] nec in eis.
12. *spolia victoriae:* Bb Br R T M A] spolia victae.
16. *tamquam:* Bb P2] tanquam.
20. *contione:* Bb P2] concione.
21. *opido:* Bb] oppido.

sem in Siciliam ductam Cn. Cornelio consuli tradere iussit, legatos Carthaginiensium Romam proficisci, ut quae a se ex decem legatorum sententia acta essent, ea patrum auctoritate populique iussu confirmarentur.

XLV. Pace terra marique parta, exercitu in naves imposito, in Siciliam Lilibaeum traiecit. inde magna parte militum navibus missa ipse per laetam pace non minus quam victoria Italiam, effusis non urbibus modo ad habendos honores sed agrestium etiam turba obsidente vias, Romam pervenit triumphoque omnium clarissimo urbem est invectus. argenti tulit in aerarium pondo centum viginti tria milia. militibus ex praeda quadringenos aeris divisit. morte subtractus spectaculo magis hominum quam triumphantis gloriae Syphax est, Tiburi haud ita multo ante mortuus, quo ab Alba traductus fuerat. conspecta mors tamen eius fuit, quia publico funere est elatus. hunc regem in triumpho ductum Polibius [hautquaquam spernendus auctor] tradit. se-

---

3. *a se:* Bb Br R T M] ab se.

7. *Lilibaeum:* Bb] Lilybaeum. — P2 Br: *lilibeum.*

8. *parte militum navibus missa:* Bb] parte militum in navibus missa.

13. *pondo centum viginti tria milia*] pondo centum millia viginti tria. — Bb: $\frac{o}{\text{cxxiii}}$ P2: *pondo CXXXIII. milia.* Br R: *pondo C. milia XXIII.*

14. *quadringenos aeris.* — P2: *CCCC. gris.*

16. *Tiburi:* Bb] Tibure.

19. *Polibius:* Bb P2] Polybius.

20. *hautquaquam:* Bb] haudquaquam.

20. *Polibius [hautquaquam spernendus auctor] tradit.*] Polybius, haudquaquam spernendus auctor, tradit. — Br: *Polybius est audquaquam spernend' est auctor tradit:* sed utrumque *est* deletum erat m. 2.

cutus Scipionem triumphantem est pilleo capiti inposito Q. Terentius Culleo, omnique deinde vita ut dignum erat libertatis auctorem coluit. Africani cognomen militaris prius favor an popularis aurae celebraverit, an — sicuti Felicis Syllae Magnique Pompei patrum memoria — coeptum ab adsentatione familiari sit, parum compertum habeo. primus certe hic imperator nomine victae a se gentis est nobilitatus. exemplo deinde huius — nequaquam victoria pares — insignis imaginum titulos claraque nomina familiae liquerunt.

---

1. *pilleo:* Bb P2] pileo.
1. *inposito:* Bb] imposito. — P2: *impositoq; q. ter.*
3. *Africani cognomen*] Africanum cognomen. — Bb: *Affricani cognomen.* P2: *Africani cōs. nom.* Br: *Affricanum Cognomen.*
4. *popularis aurae:* Bb Br] popularis aura.
5. *Syllae:* Bb P2 Br R] Sullae.
6. *Pompei:* Bb P2] Pompeii.
6. *adsentatione:* Bb P2] assentatione.
8. *a se:* Bb Br R] ab se.
10. *insignis:* P2] insignes.
10. *claraque nomina familiae liquerunt:* Bb] claraque cognomina familiae fecere. — P2: *claraque cognomina familiarum fecerunt.* Palat. 1.: *claraque cognomina familiae habuerunt.*

INDEX

LOCORUM HUIUS XXX LIBRI LIVII IN COMMENTATIONE CRITICA TRACTATORUM.

Cap.	XVI.	quae — sint	pag.	CIII.	1.
-	-	at consultandum	-	XCVII.	1.
-	XVII.	in quadriduum	-	XCV.	30.
-	-	descendit	-	LXXXVII.	21.
-	-	decorasset operibus	-	XLI.	9.
-	-	senatos	-	XCI.	9.
-	-	ac nisi	-	XLIV.	6.
-	-	adque	-	XCVII.	1.
-	-	aliut	-	XCVI.	21.
-	-	id patres comprobare	-	XXVIII.	7.
-	-	com	-	XCI.	11.
-	-	fibulis singulis	-	LIII.	14.
-	XVIII.	Insubrum	-	XCI.	31.
-	-	ubi in rem permixtus	-	XXXIII.	1.
-	-	Magoque	-	LV.	14.
-	-	omnibus equitibus	-	LXVIII.	8.
-	-	ordines et tenorem	-	XXIX.	15.
-	-	aliquod	-	XCVI.	22.
-	XIX.	traiceret	-	CII.	6.
-	-	quae — erant	-	XCII.	14.
-	-	qua iacet	-	XCVII.	29.
-	-	Tannetum	-	LXXXII.	10.
-	-	Aufugum cet.	-	-	-
-	XX.	ecferret	-	XCVIII.	24.
-	-	aliena re	-	XCIV.	2.
-	-	Brutti agri	-	XC.	5.
-	XXI.	conprensos	-	XCIX.	21.
-	-	ducenta	-	LXI.	11.
-	-	reveherentur	-	XCIX.	22.
-	-	esse meminisse	-	CII.	24.
-	-	porgentium	-	XCIX.	27.
-	-	futurus esse	-	CII.	19.
-	-	suis qui deis	-	LXVI.	9.
-	-	victumaeque	-	XCIV.	9.
-	XXII.	Hiberum	-	LXXXIV.	11.
-	XXIII.	existumare	-	XCIV.	11.
-	-	quam qui	-	XLIV.	17.
-	-	responso	-	XCI.	1.
-	XXIV.	censuerant	-	CI.	23.
-	-	relicuum	-	XCIII.	11.
-	-	curso	-	XCI.	3.
-	-	promunturium	-	XCIV.	10.
-	XXV.	L. Baebium cet.	-	LXXIX.	12.
-	-	ad Bagardam	-	LXXXIII.	2.
-	-	superlabentem	-	LXXXVII.	14.
-	-	iam nulla res — tueri potuisset	-	LV.	19.
-	-	litus effusa	-	XCII.	18.
-	-	adque	-	XCVII.	1.
-	XXVI.	qui tunc	-	LXVI.	17.
-	-	clivus Puplicius	-	XCIII.	16.

Cap. XXVI.	discripserunt	pag.	CIV.	5.
-	victoris	-	LIII.	23.
-	cunctatior	-	XCIV.	12.
-	quod tunc	-	LXVI.	17.
-	unum hominum	-	XCIII.	3.
-	plebei	-	XC.	18.
-	quia eum senatus	-	LXXI.	8.
-	principium	-	XCII.	3.
XXVII.	si is videretur	-	XC.	23.
-	cum Scipione imperatore	-	XXVI.	9.
-	senatu	-	XCII.	5.
-	sedecim	-	LXXV.	27.
-	et ut ab plac.	-	XIX.	3.
-	per quinquennium	-	LIII.	27.
-	per quadriduum	-	XCV.	30.
XXVIII.	aput	-	XCVII.	1.
-	solitus esset	-	LXXII.	4.
-	tumultuaris	-	XC.	19.
-	Hannibali	-	XCI.	23.
-	quod — aliquod	-	XCVI.	22.
-	geri	-	XLV.	17.
XXIX.	Hadrumetum	-	LXXXII.	3.
-	percunctatosque	-	C.	30.
-	set maxime	-	LXX.	19.
-	quae — concepta	-	LIV.	11.
-	cum ad cetera	-	CIII.	23.
XXX.	adpetimus	-	XC.	28.
-	abominamur	-	CI.	31.
-	fraudaverunt	-	C.	23.
-	repugnet	-	-	-
-	Trasumennum	-	LXXXII.	30.
-	id tu hodie	-	LIV.	16.
-	fefellit te tua fortuna	-	LXV.	31.
-	simol	-	XCI.	11.
-	victoriam malle	-	LIII.	29.
-	utrimque ferrum	-	XLI.	3.
-	inter pauca — fuisse ferretur	-	LXXIII.	10.
-	ad bellum itum est	-	XXVII.	30.
-	peti	-	XC.	24.
XXXI.	ab adventus tui spe	-	XLV.	30.
-	vos lacessere	-	XC.	30.
-	testes ut qui	-	LXXIV.	24.
-	cedentem Italiae	-	LXXXVII.	30.
-	manu consertum	-	LXXXVIII.	5.
-	quae tunc	-	LXVI.	17.
-	quae sit multa	-	XXI.	21.
-	verba praelata	-	LXIV.	25.
XXXII.	subiciebant	-	XXIII.	27.
XXXIII.	spatium qua	-	XCVII.	30.
-	post directos	-	XXVII.	22.

Cap.	XXXIII.	adplicantes se signis .	pag.	XLII.	1.
-	-	in ancipia tela	-	XCIII.	13.
-	-	Balearibus	-	LXXX.	10.
-	-	adortatio	-	CV.	8.
-	-	asperumis	-	XCV.	12.
-	-	aliae aliis spes . . .	-	XXVI.	14.
-	-	optererentur	-	XCVIII.	29.
-	-	coniciebant antesignani	-	XLII.	15.
-	XXXIV.	eaque	-	XCVII.	31.
-	-	umboni	-	XCI.	24.
-	-	ut et paulo — et . .	-	CIII.	23.
-	-	fuga vulneribus . . .	-	LV.	6.
-	-	deficilior	-	XCIII.	15.
-	-	astati	-	CV.	12.
-	-	principium	-	XCII.	4.
-	-	hastatis iussis . . .	-	XLIV.	1.
-	XXXV.	caesi: per pat. . . .	-	LIII.	16.
-	-	ad mille et quingenti cecidere	-	XII.	9.
-	-	Hadrumetum	-	LXXXII.	3.
-	-	et omnia in proelio .	-	LXIX.	29.
-	-	ubi omnis spes . . .	-	LIV.	18.
-	-	Italicos incertos . . .	-	LII.	28.
-	-	impetranda	-	LIV.	19.
-	XXXVI.	supplicium	-	XCII.	5.
-	-	Tynetem	-	LXXXI.	29.
-	-	ad contemplandum Carth.	-	L.	25.
-	-	regulos	-	XCI.	10.
-	-	quanta res esset . .	-	XLIV.	14.
-	XXXVII.	describta	-	XCIX.	18.
-	-	obsides centum . . .	-	LXXVI.	16.
-	-	ad dissuadendum . .	-	CI.	15.
-	-	tempere	-	XCI.	15.
-	-	disseruit quam nec iniqua	-	XXXVI.	27.
-	-	Annibal	-	LXXVII.	20.
-	XXXVIII.	qui ita petentes . . .	-	LV.	12.
-	-	Sardiaque	-	LXXXI.	25.
-	-	aliquod	-	XCVI.	23.
-	-	habundavit	-	CV.	4.
-	-	Erucinae	-	LXXIX.	7.
-	XXXIX.	Cusanum Loretanumque	-	LXXXII.	13.
-	-	Populoniom	-	LXXXII.	18.
-	-	comitia infecta . . .	-	LXV.	1.
-	-	dampnati sunt	-	LIV.	19.
-	-	Cerialia	-	LXXIX.	10.
-	XL.	simul Carthaginienses	-	XLI.	26.
-	-	haut parva	-	XLIX.	10.
-	-	impertire	-	XCVIII.	6.
-	-	tum patere	-	XLVI.	9.
-	-	finem alterius, alterius princ.	-	XLV.	4.

TYPIS TROWITZSCHI ET FILII.

